Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Husan von

Dierum Dominicarum Preces Anniversariae

Rostochii: Reusner, 1601

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0001
DFG

Fratri Suo carissimo Joh.
Pomholtum Illustrissimi Pome-
raniæ Ducissæ Secretario
dat. Gramb Pomholtz
nabürgj Dominica Exaud
Anno 1605.

12,a—15.

1m—4128.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730437175/phys_0002
DFG

Iustos. Beata. Latisfiat. Suauitas.

Nobiliſsimo Duo. Ernesto Lüdo-
wico Holtzan. fautori suo dilectissimo
dat. Iohan Borchelt. Lünæb. Saxo.

Ao 1605
12 8bris.

1605

H: Bl: R: G: L:

Ernst Ludewigk
Holtzaem

Timeh Dominum
eccl Ollum


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730437175/phys_0004
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730437175/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730437175/phys_0007
DFG


2444.
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0008
DFG

Dierum

DOMINICARVM PRECES ANNIVERSARIÆ,

ab

HENRICO HVSANO,

JC. clarissimo, Oratore politico & Poëta eximio, Domino hæreditario in Tessin, olim conscriptæ, & nunc primùm editæ.

Accesserunt ejusdem Autoris Fragmenta lectu haud inutilia.

ROSTOCHII
Prælo Reusneriano. 1601.

Domino Francisco Borcholten patricio Lubecensi viro humanissimo et literatissimo Fautori Georgius Schumacher.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0009
DFG

In Precationes Dominicales

Eximij, Ampliſſimi & Famigerabilis viri,

DN. HENRICI HVSANI, Juriſconſulti, Oratoris, Poëtæ abſolutiſſimi.

MAximus interpres legum Pomponius olim
Eunomiæ & Themidos Myſta Dicæque fuit.
Indomito quondam reſonabat fulmine linguæ
Tullius ingenio ſummus & eloquio.
Flumine nectareo tua carminis imbuit olim
Naſo; Phœbus, Amor, Gratia, Muſa, Venus
Singula quæ conceſſa alijs, conceſſa tibi uni
Omnia, miraculum ſæculi, HVSANE, tui.
Cui Suada, & Themis alma, omnesq; cum Apolline Muſæ
Certatim dotes contribuêre ſuas.
Sancta fides acceſſit ad hæc, & relligionis
Verus amor, merito Spes rata Chriſte tuo
O bene jūcta bonis hæc! Noſtro rariſſime ſæ-
Cui te Phœnicem jure fuiſſe rear. (clo,

Bibliotheca Academiæ Roſtochienſis

Lubinus, Poëſeos
Academia Roſtochienſi
Profeſſ. P.

Magnificis, Amplißimis, Prudentißimisq; viris,

Dn. LEONHARDO ELVERO,
Dn. LVDOLPHO à DASSEL,
Dn. HENRICO VVITZENDORFIO, &
Dn. HIERONYMO TOBINGO,
Conſulibus inclytæ Reipub. Lunæburgenſis,

Nec non

DN. GEORGIO TOBINGO, &
DN. HENRICO TOBINGO,
Senatoribus ejuſdem Reipub. digniſsimis,

Dominis & fautoribus ſuis plurimùm colendis, S.

)(2 Cum

CVM & ratio dictet & æquitas ipsa postulet, Magnifici, Amplissimi, Prudentissimiq; Domini Consules & Senatores, ut memoria virorum de re litteraria deq; regionibus & Rebuspub. præclarè meritorum quàm diutissimè extet & conservetur, & ut in libris olim à sese conscriptis post mortem vivant, nec bonis inservire & prodesse desinant; non abs re fore mecum Dominus HENRICVS HVSANVS H. F. & alij amici Dn. D. HENRICI HVSANI JCti

JCti clarissimi & Domini hæreditarij olim in Tessin p. m. cum ante annum ferè Lunæburgi convenissemus, existimârunt, ut Opusculum hoc precum dierum Dominicarum typis excuderetur. Quod quidem nemo, modò sit æquus rerum æstimator, nobis vitio vertet, Quin imò ingenuè nobiscum fatebitur, nefas esse, memoriam viri tam præstantissimi ad mundi interitum usq; extare non debere.

Etenim quanta ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, judicij

dexteritate & in primis tractatione negotiorum gravissimorum felici, aliisq; donis eximijs vir ille excelluerit, multis, in primis verò M. & A. vestris, totiq; adeò Reipub. Lunæburgensi, quæ aliquot annos Syndico ipso usa fuit, non est incognitum. Ad cujus dona (si quis hoc argumento uti vellet) prædicanda, Demosthenicam aut Ciceronianam eloquentiam requiri meo judicio videretur. Ob quæ ipsum apud multos tàm superioris quàm inferioris ordinis homines in precio haud

haud exiguo habitum & ad ſummas dignitates evectum optimè noſtis. Vt enim plebeios taceam, quot Principibus, Nobilibus alijsq; in ſummo rerum faſtigio conſtitutis doctrina, prudentia, & conſilio profuit! Quot peregrinationes arduas in Angliam, Galliam, aliaq; longè diſsita loca ſuſcepit! quantaq; ab Heroibus multis præmia virtutum & laborum, tali viro digna reportavit!

Etſi verò alia quoq; eruditionis ipſius ſingularis & in primis Poëtices ſpecimina

haud extant vulgaria: Tamen Opusculum hoc quoq; non minùs hujus rei indicium esse, ideoq; nequaquam supprimendum multis ijsq; doctis visum fuit. Nam ut alios taceam, tale Poëta quidam in hac Academia excellentissimus, qui pauca ab Auctore omissa complevit, de precibus hisce judicium tulit, jure eas multorum hoc seculo etiam Laurea coronatorum versibus (Quod sine invidia tamen dictum volo) præterendas esse.

Vt igitur in lucem ederentur,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0016
DFG

tur, Dominus HENRICVS HVSANVS, Auctoris Filius, qui Præceptore me olim aliquot annos usus fuit, curavit, & meam qualemcunq; operam hac in re adhiberi à me petijt.

Cujus petitioni honestissimæ nequaquam refragandum duxi. Et quia reliquiæ quædamcarminum haud contemnendæ in Bibliotheca D. D. HENRICI HVSANI inventæ sunt, eas eadem opera colligi & in fine excudi curavi.

Vobis verò Magnifici

Amplissimi, Prudentissimiq; viri, utpote singularibus olim Dn. D. HVSANI p. m. amicis & fautoribus hasce dierum Dominicarum preces dedicare volui, summoperè rogans, ut quemadmodum hunc virum adhuc vivum maximo prosecuti amore estis: ita vobis eas haud displicere sinatis. Deus Opt. Max. M. & A. vestras Ecclesiæ suæ & inclytæ Reipub. Lunæburgensi quàm diutissimæ salvas & incolumes conservet. Rostochij Kalendas Sextiles, Anno 1601.

quo

quo ante 411. Annos Lunæburgum, celeberrima Germaniæ civitas, est ædificatum.

M. & A. V.

Observantiss.

M. Michaël Langius, Ecclesiastes Rostochiensis ad Divum Petrum.

HENRICI HVSANI JC. ELEGIA, IN FESTO Paschatis, Anno 1559. Patavij scripta, cum ibidem decumberet ardentissima Febri.

AGne carens culpa, pro nostra mortue culpa,
Agne reos mundans sanguinis imbre tui.
Huc ades agne Dei, miserosq; abrumpe dolo-
Quos patior dira me populante febri (res;
Ecce dies agitur qua formosiss me rerum,
Victima placando cæsus es agne Deo.
Quoq; abolens veteris vestigia tristia lapsus
Vulnera sanasti nostra cruore tuo.
Famq; colore novo se vestit ianthina tellus
Supplicijs edens conscia signa tuis.
Et rediviva tuo rerum natura triumpho
Grata resurgentis munera Christe parat.

In te-

In teneros trudit gemmas è palmite soles
Vitis, & explicitas parturit arbor opes.
Quæ prius occatæ cohibebant semina glebæ
In viridi segetem nunc meditantur agro.
Et quibus ire foras, seseq; ostendere possit,
Quærit & arcanas invenit herba vias.
Victoremque Deum conjuncta voce salutant,
Solamen nemorum, gratia ruris, aves.
Singula quid referam? novitas reparabilis anno
Mollis & à Zephyri flatibus aura redit.
Famq; erat huic toti communia gaudia mundo
Lætitiæ sensu participare meæ.
Ponere discendis in legibus utile tempus,
Ingenium veris excoluisse bonis.
Cùm procul à charis decumbo parentibus ager,
Cùm procul ignoto cogor in orbe mori.
Ergo erat in fatis Italas invisere terras
Vt premeret tumulo corporis ossa mei?
Nec mihi Germanas fuit ulla reperta per oras
Gallia perq; tuas, qua sepelirer, humus? (dest,
Nec mihi quod fugi stomacho mala fercula pro-
Nec mihi, quod nunquã vina meraca bibi?
Nec Musæ, teneris quas sum veneratus ab annis,
Nec mihi vos medici ferre potestis opem?

Ah mi-

Ah miser ah quantis sine fine caloribus uror,
Quàm vehemens sævit corpus in omne lues?
Cor mihi nunc celeri nunc lento palpitat ictu
Et febris obsessum torret amara jecur.
Quoq; loco jaceo, locus is mihi tædia præbet,
Quamq; manus tangit, pars dolet illa mihi.
Dira minutatim collapsos exedit artus
Ossibus & venis omnibus acta suis.
Invigilatq; malis cerebrum duplicatq; dolores,
Nec mihi nocte quies ulla, nec ulla die.
Dũ loquor extremis vox arida faucibus hæret,
Nec superest, auræ quo capiantur, iter.
Scilicet ad finem concessi venimus ævi,
Scilicet hæc tellus, qua tumulabor, erit.
In patriamq; mihi reditus finguntur manes,
Non oculis posthac illa videnda meis.
O ubi lene vehens Nessus pater agmẽ aquarum
Purior electro florida prata lavat.
Nec procul illapsus flaventibus Horselus arvis
Irriguo lætum margine gramen alit.
O ubi Pannoniæ sub castro surgit Elisæ
Lucus ab antiqua relligione sacer.
Innumeroq; sonant nemorales fonte recessus
Et specus in scopulis Trebchana latet.

Dulce

Dulce refrigerium, dulces spaciantibus umbræ,
Cum canis arentes pestifer urit agros.
Quis mihi, sub ramis ut captem frigus opacum,
Et jaceam toto corpore fusus humi?
Quis dabit, in fauces ut ad ultima verba rigan-
Vnica de vestris guttula roret aquis? (das
Quis dabit, ut patrio prius è lare surgere fumũ,
Quã mihi mors oculos comprimat, aspiciam?
Hei mihi quid votis non proficientibus opto?
Ecce meas pulsat jam Libitina fores.
Dulce solum natale vale, salvete parentes,
Aufferor, & jã pars mortua magna mei est.
Agne Dei pro me letho mactate cruento,
Cujus morte salus est reparata mihi.
Qui mihi gratuitum læsi genitoris amorem
Sanguine dignatus conciliare tuo es,
Tu patris ad dextram cœlos super editus omnes
Immortalis homo, verus ut antè, Deus:
De mundo Satanaq, orcoq, & morte triumphas,
Et pedibus regnum subjicis omne tuis.
Subjice nunc igitur Satanã mihi subjice mortẽ,
Hostibus ô igitur nunc dominare meis.
Qui mihi te, summis contendere viribus ausi,
Ex animo certant eripuisse meo,

En ferus os lato Satanas diducit hiatu,
Extenditq́; avidã mors truculenta manum.
Vt lapsam prædentur ovem, per tristia mundi
Pascua quæ nimium sæpe vagata fuit.
Pastorisq́; oblita sui mala pabula carpsit,
Ah carni temerè gratificata suæ.
Quas epulas iterum dum pectore ruminat imo
Pœnitet admissi criminis esse ream.
Pœnitet, & largo lacrimarum flumine fuso,
Væ mihi, si miseræ non misereris, ait.
Nec tamen ex acie cedit, licet acriter hostes
Horrida non æquo prælia marte gerant.
Sed te Christe fide minimè dubitãte prehendit,
Ad meriti precium nobile versa tui.
O igitur mea lux, requies, spes unica Jesu,
Affer in articulo nunc mihi mortis opem.
Nũc apud offensum pro me fac vota parentem,
Pacatumq́; tuo redde favore mihi.
Sic mihi mors lucrum, sic mundus causa trium-
Sic per te Sathanas gloria victus erit (phi,
Ecce patent cœli, vocor ex hoc carcere sursum,
O anima in requiem te mea verte tuam.
Rebus adhuc hæres etiam defixa caducis?
Quid tibi cum terra? sordida terra vale.

Corpus

FESTO PASCHATIS.

Corpus humo linquens, animam tibi Christe remitto,
Mors ades, & vitæ nunc mihi pande fores.

HENRICI HVSANI J. C. CANCELLARII Megapolitani votum Anno 1569.

O Animi felix, ô parte beatus ab omni,
O immortali proximus ille Deo.
Quem docuit mundi valedicere moribus hujus
In verum pietas obsequiosa Deum.
Et sibi concesse contentum limite sortis
Exercere suo munia justa loco.
Quem neq; sollicitat mendaci gloria fuco,
Fluxarumve fames sacra fatigat opum.
Dira nec in varias trahit altercatio rixas,
Qua schola, qua templum, qua strepit omne forum.
Nec mala degeneri corrumpit inertia luxu,
Vnica corporibus pestis & ingenijs.

Qui

VOTVM.

Qui nec obæratus curis torquetur acerbis,
Nec jubet esse sua nomina certa fide.
Qui potiùs, dubias rabularum pabula lites
Quàm moveat, mavult cedere jure suo.
Nec locat infami steriles in fœnore nummos,
Et super insontem munera nulla capit.
Pascere qui multos vel equos famulosvé necesse
Non habet, aut amplas ædificare domos.
Stare nec infida sublimis gaudet in aula,
Magnorumq; potens ad latus ire ducum.
Sed justa requie sese saturare, suaq;
Intra fortunæ septa latere potest.
Educat & teneros chara cum conjuge natos,
Vt discant homini commoda, grata Deo.
Et cum transierint exactæ tempora vitæ,
Concludit tacitos ac sine labe dies.
O conclude meos hoc tandem fine labores,
Enecat oppressum me quibus aula, Deus.

PATIEN-

PATIENTIÆ FRVCTVS, EX TERTVLLIANI libro de Patientia.

SI tua depoſita eſt apud hunc injuria ſolum,
Omnia qui juſtè vindicat, ultor erit.
Depoſita eſt apud hunc rerum jactura tuarum,
Ille, tuum damnum qui reparabit, erit.
Depoſitus dolor eſt apud hunc tuus, ille medelam,
Qua, quæcunq; dolent, omnia ſanat, habet.
Depoſita eſt apud hunc tua mors, vitæq; neciſq;
Arbiter iſte, tuus vivificator erit.
O quemcunq; dolor, mors, damnum, injuria vexat,
Ex hoc fonte tuæ quære ſalutis opem.
Eja age pro quanto patientia quantula lucro?
Vt tuus exiſtat debitor ipſe Deus.
Qui retributurum ſeſe cum fœnore ſpondet,
Si ſibi vindictæ ſit datus omnis honos.

Per-

Perfer & obdura paucas duntaxat in horas,
Exiguæ merces ampla futura moræ est.
Dum ferat iste tibi medicus, reparator, & ultor,
Dum ferat iste tibi vivificator opem.

FRVCTVS ET EFFICACIA PRECVM, PATIENTIÆ & fidei in Deum.

REbus in ambiguis, cùm restant undiq; ven-
Desertiq; adeò divinitus esse videmur, (ti,
Omnis ut auxilio via facta sit invia nostro;
Prima fores aperit cœlestes optima clavis,
Quæ ciet ex imo pia vota precatio corde,
Injectaq; manu te Christe prehensat, & ambit,
Vimq; tibi gratam facit, & domat omne quod obstat.
Altera, quæ validas animis patientia vires
Sufficit, ac tolerare moram docet, omnia si non
Ad mutum subitò veniant, quæ postulat orans.
Tertia firma fides, res expectare petitas
Quæ docet, ac dubiũ jubet intercedere nullum,
Quin

Quin pater omnipotens nobis velit omnia certè
Munifica præstare manu, quæcunq; rogamus,
Seq; patrem nobis bonitate probare paterna.
Ac licet interdum nos exaudire secundùm
Vota voluntatemq; neget, velit attamen idem
Ad nostram semper nos exaudire salutem.
Ignoramus enim quid ab illo sæpe petamus.
Vtile ducentes, quod nobis utile non est,
Tantus in humanis dominatur mentibus error.
Ille igitur nostri super hoc errore misertus
Vel, dat quod petimus, vel quod magis utile novit.

Quæ cùm sic habeant (eventus vota secundet)
Cor mihi principio patriarchæ exopto Jacobi,
Qui dum congressus tecum internuncie cœli
Sustinet invictò longam certamine luctam,
Non te dimittam, mihi ni bene dixeris, inquit.
Inde cor opto mihi mansueti nobile Jobi,
Qui cum pignoribus charis orbatus, opumq;
Jacturam passus cunctarum, & corpore toto
Obsitus ulceribus, vivum spiransq; cadaver
Sordibus in medijs, putris in fœtore fimeti
Vix animam traheret, generosa ita voce profatur.

Nudus

Nudus humum tetigi vitalibus editus auris,
Nudus humum linquã vitalibus excitus auris:
In me dona Deus sua contulit, abstulit idem,
Ejus honos omni nomenq; illustre sit ævo.
Opto mihi tandem regis cor forte Davidis,
Magnanimo tales qui fundit ab ore loquelas:
Si tua sit saltem Deus, omnipotentia mecum,
Si te habeã casus comitem duntaxat in omnes.
Non cœli terræq; minas, non ulla timebo,
Quæ me circumstent odia aut discrimina rerum,
Hæc est in medijs illa anchora sacra procellis.

Henri-

Henricus

HVSANVS

IC. PATER,

VICTORI HONORIO

FILIO.

HVC ades, ô fili chariſſime Victor Honori,
Huc ades, & caſta concipe mente preces.
Quas ego, dum podagræ pertæſus & urbis & aulæ
Ruſticor, inque agro me mihi reddo meo.
Dum chartis alij ludunt, aut pocula ſiccant,
Aut nihil aut aliud, quam quod oportet, agunt:
Ocia dum feſtis obſervant rura diebus,
Privatim ſolitus ſum recitare Deo.
Vel patulæ quercus, vel fagi fuſus in umbra
Ceſpitis aut molli gramine ꝑpter aquã.
Dum circũ virides errant armenta ꝑ herbas
Et mihi cantrices admodulantur aves.

Hîs

Hic ubi Teſſinum piſcinas, paſcua, ſylvas,
Pomiferosque hortos jactat & uber agri.
Agne DEI, prognate Deo Deus, hoſtia mundi,
Fac reſonent laudes omnia noſtra tuas.

PRECES

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0032
DFG

Preces DIERVM DOMINICARVM.

DOMINICA I. ADVENTVS CHRISTI, Matth. c. 10.

CHriſte Dei fili, rex optime maxime Regum,
Omne tua regnum qui ditione tenes:
Regificeq; infers Solymam te victor in urbem,
Publicaq; exhibiti das documenta tui,
Quæſumus ad numerum nos agminis illius ad-
Introitum fauſtū quod jubet eſſe tuum. (das,

A Quod

Quod tibi prætendit ramos insigne triumphi,
Vestibus expansis quod tibi sternit iter.
Vt tibi cum cœtu te concelebrante sonemus
In vera laudes agnitione tui.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS Lucæ c. 21.

ET luit hæc pœnas mundi delira senectus,
Et tamen incolumes vult Deus esse suos.
Ergò tot ærumnas inter mundiq; ruinas
Reliquias cœtus protege Christe tui.
Ad te confugimus, tu portus & ara salutis,
Mansuetam miseris porrige quæso manum,
Ereptiq; malis à parte prementibus omni
Effice conspectum flemus ut ante tuum.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS, Matthæi c. 11.

CHriste, ministerium cui pastorale propagat
Notitiam regni sanctaq; jura tui.

Mitte

Mitte salutares doctores, mitte fideles
OEconomos, rectè qui tua verba secent.
Quos nec ad arbitriũ se conformare potentum,
Nec studium vulgi demeruisse juvet.
Nec temerè huc illuc levis instar arundinis o-
Doctrina vento circumagente rapi. (mni
Nec gerere injecta fractã formidine mentem,
Quando ministerium crux comitata venit.
Qualis Joannes (ævo gravidata senili
Zachariæ peperit quem sua mater) erat.
Tu quoq; legatis tua jussa ferentibus adsis,
Vinetumq; colas vinitor ipse tuum.
Da superare tui juratos nominis hostes,
Quam tibi debemus, da retinere fidem.
Militiamq; piè cursus absolvere nostri,
Te duce carpamus donec ad astra viam.

DOMICA QVARTA ADVENTVS, Joannis c. 1.

ECce sacerdotum Baptista minante senatu
Vt citat æterni jussa severa Dei.
Muniaq; officij sibi demandata professus
Intrepidum præstat magnanimumq; virum

Sic ad Pontificum non una voce tribunal
Deserti templi nos peragente reos
Ne transire tuos metus & vis cogat ad hostes
Assere firmatos vindice Christe manu.

DIE NATALI CHRISTI
Lucæ c. 2.

NAscere justitiæ promissum nascere semen,
In quo tot sancti spem posuere patres.
Surcule relliquijs radicum è Davidis exi,
Annosq; Isai stipite germen age.
Deplue ros cæli, descende salutifer imber,
Notitiaq; riga pectora nostra tui.
Vt tibi tale tuo carmen psallamus in ortu,
Quale chori superûm concinuére melos.
Nuncia cùm pecoris recitari læta magistris
Audijt ad clausos nox vigilata greges.
Eq; tua caro carne, tuisq; ex ossibus ossa,
Vnitiq; tibi simus, ut ipse patri es.

DOMINICA GLADII
SAVCIANTIS ANIMAM MATRIS,
Lucæ c. 2.

Fortu-

FOrtunate senex & fortunata prophetis,
Factum hominem intuitu comminus ambo Deum.
Quē circū amplexus tremulas tollebat in ulnas
Ille, ferens teneris oscula blanda genis.
Hæc operata sacris temploq́ affixa colebat
Noctes atq́ dies relligiosa Deum.
Des mihi quod sancto Simeoni Christe dedisti,
Semper ut amplectar te foveamq́ sinu.
Des etiam viduæ tribuisti Christe quod Annæ,
Ne moveam templi me statione tui.
Cumq́ piæ matris quæ nos tibi nutrit alumnos,
Trajectum duplici vulnere pectus hiet.
Huic adhibe curam medicamentumq́ doloris
Pendet ab illius nostra salute salus.
Fac tua perfundat nostras sapientia mentes
Gratiaq́ in nobis creseat adaucta tua.
Donec in æterna te luce tuumq́ parentem
Intentis oculis aspiciamus. Amen.

DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI, Lucæ c. 2.

NAte recens toti, puer alme, salutifer orbi,
Matre prior, patri Christe coæve Deo.

Qui nec lege reus, nec legi subditus, ultrò
Subijceris legi, dum mala nostra luis.
Justitiaq; tuæ meritum transfundis ad omnes,
Sincera capiunt qui tua dona fide.
Circumcide precor nostri præputia cordis,
Simus ut hospitio templa dicata tuo.
Sanguinis & memores, hodiè quem fundere primùm
Te generis nostri summus adegit amor
Ex animis veteris scelus evellamus Adami
In vitæ reduces integrioris iter.

IN DIE EPIPHANIAS DOMINI.

STella notata viris sapientibus indice stella
Orta Jacobææ posteritate domus:
Hac patefacte die tria per miracula Jesu,
Nate Palæstina virgine nuper homo.
Cujus in historia doctrinæ mentio verbis
Extat honorificis facta Mathematicæ:
Vnde fluit tanquam rivus de fonte perenni
Omne quod humana est in ratione boni.
Esse tuum munus scimus, gratiq; fatemur
Ingenuas artes, artificesq; bonos.

Teq;

Teq; tuum propter nomen nostramq; salutem
Quæsumus, hæc serva dona favore tuo.
Quæ vitæ baculum est dignata vocare vetustas,
Vita quibus minimè nostra carere potest.
Quorum luce nisi mores regeremus & actus
Heu mihi quo rerum quis status orbe foret!
Qualibus in tenebris cæcorum more vagantes
In varium traheret nos malus error iter!
Hac precor accumula nostras, appendice solùm
(Quæ bonitas in nos est tua summa) preces.
Quicquid & ingenij præstantis & artis ubiq; est
Serviat ut laudi nominis omne tui.

DOMINICA CHRISTI A MATRE AMISSI Lucæ c. 2.

ANnus agebatur Christi bis sextus ab ortu
Amisit puerum cùm malè cauta parens.
Quem tamen in templo tridui sub fine recepit,
Dum sedet, & doctos doctior ipse docet.
Ne precor everti nos ista Christe ruina,
Vt jactura tui sit facienda, sinas.
Ne desolari nostros puer optime cœtus,
Privariq; sinas agnitione tui.

Qualibus in tenebris Asiæ plaga Græciaq; omnis
Africaq; (heu mundi portio quãta!) jacent.
Nunc ubi te gentes orbæ servaq; latronum
Triste ferunt diro sub Mahomete jugum.
Orbe sed in nostro stabilem tibi delige sedem,
Pectoraq; illustra lumine cæca tuo.
Constet ut æternæ nobis via vera salutis,
Sanguine quæ miseris rursus aperta tuo est.
Reges & populos in eundem contrahe sensum,
Vt te concelebrent unanimesq; colant.
Effice sic vitam duce te præeunte regamus,
Copulet ut semper nos tibi firma fides.
Inq; tuo gremio gestemur ad usq; senectam,
Et patris in regno tecum habitemus. Amen.

DOMINICA NVPTIARVM IN OPPIDO GALILÆÆ CANA, Joan. c. 2.

CHriste maritalis primarie fœderis autor
Vnice fons omnis Christe pudicitiæ.
Qui paranymphus eras, cũ sponderetur Adamo
Nata recèns costâ ex conjugis Eva sui.
Cui dotale dabas tolerandæ ad commoda vitæ
Imperium in cunctas totius orbis opes.

Quiq;

Quiq; epulum genialeCanæ, cum vina deessent,
Munere dignatus condecorare novo es.
Tunc ubi nativum deperdidit unda saporem
Ex aqueo fieri jussa liquore merum.
Fœmina quo primùm duce consociata marito
Alter ut alterius se tueatur ope. (est
Quoq; tuam sponsam complecteris, ejus amoris
Præbeat ut specimen conjugialis amor;
Et devitetur Veneris promiscuus usus,
Debitaq; impuris pœna libidinibus:
Effice Christe precor genus hujus amabile vitæ
Præsidio salvum sit maneatq; tuo,
Vt serie soboles indeficiente supersit,
Concilium cogas agminis unde tui,
Cum quo participes vitæ bona summa beatæ,
Quod te perpetuò laudet, honoret, amet.
Intereà dum nos extorres mundus hic angit,
Ærumnæq; graves ad latus omne premunt.
Corporaq; heu fragili magis imbecillia testa
Hîc circumferimus, deficimurq; mero,
Et nostræ lacrymis hydriæ persæpè replentur,
Exercetq; horæ nos mora longa tuæ:
Affer opem, rebusq; veni non serus egenis
Impositamq; doce nos tolerare crucem,

Donec in hashydrias humor lacrymatus amarus
Ex aqueo fiat dulce liquore merum.
Inq; tui mensa patris ambrosiaq; cibemur,
Eq; tua nectar vite bibamus, Amen.

DOMINICA LEPROSI MVNDATI A CHRISTO & Centurionis exauditi, Matth. c. 8.

QVi tibi fidentem sanasti Christe leprosum
Et nostræ maculas elue quæso lepræ.
Exaudiq; pio cum Centurione rogantes
Antidotum, morbo nos populante, tuum.
Néve supra vires schola nos crucis impare lucta
Tentet, opem miseris affer & auxilium.
Et quia cœlestis quædam bona propria vitæ,
Quædã sunt, quibus hæc vita carere nequit:
Illa dari nobis sine conditione precamur,
Lege sed hæc ista: quatenus ipse velis.
Non facis, optatis potiamur ut omnibus; esto.
At facis, optatis ut meliora cadant.
Scilicet imponunt nobis phantasmata verum
Perpetuò curæ est sed tibi nostra salus.

Sit

Sic age sic noster nobis innoxius error
Sit, cruce sit victrix nostra premente fides.

DOMINICA NAVICVLÆ MEDIIS IN FLVCTIBUS à Christo servatæ, Matth. c. 8.

QVæ diffidentes nova desperatio vexat?
In dubium Christi cur revocatis opem?
Ille capit somnum, tempestas aspera sævit,
Jactatur tumidis obruta navis aquis.
Esto. nec oblitus vestri tamen ille quiescit,
Quem rerum penes est omne magisterium.
Qui mare, qui ventos indignantesq; procellas
Increpat, & nutu cogit ad obsequium.
Cui fuit à prima nascentis origine mundi
Tutandi & cœtus unica cura sui.
Qui tibi juste Noha, dum circumferris in arca,
Adstitit in medio gurgite diluvij.
Cum genus humanum letho demersit eodem
Vltaq; se pœnis tristibus ira Dei est.
Qui sobolem Judæ Pharijs eduxit ab oris
Rege per irremotum ponè sequente viam.

PRECES DIERVM

Tempore quo secum divortia fecit aquarum
Et stetit in faciem montis utrinq; fretum.
Mox in se recidens Regem coëuntibus undis
Hausit Erythræi vasta vorago sali.
Gratia Christe tibi, tibi nos debere fatemur
Quicquid ubiq; boni est; Gratia Christe tibi.
Tu servas aliquã navim tibi semper & arcam,
Hospita quæ sedes sit statioq; tuis.
Cujus naufragium prohibes, rimasq; resarcis,
Ad clavumq; sedes, remigiumq; regis.
Effice, nunquam illa nave abscedamus & arca,
Extra quam nulla est invenienda salus.

DOMINICA ZIZANIÆ AB INIMICO SPARSÆ Matthæi c. 13.

VNde filix, lolium, atq; bromus, festucaq; crevit?
Consita cũ fuerint semine rura bono.
Fallor, an agricolis somnum ducentibus hostis
Ingesit vitium Zizaniamq; satis.
Evigilate, seges quibus est commissa, coloni,
Præposuit messi quos Deus ipse suæ.

Hoc

Hoc opus, hic vester labor est, ne scilicet herbis
Tristibus obductus luxurietur ager.
Frumentiq; loco dominetur inutile gramen,
Et spes delusum fallat inanis herum.
Tu quoq; vivifico naturæ squallida nostræ
Arva riga succo Christe; calore fove.
Gignat ut in nobis satio tua fœnore largo
Fructiferamq; fidem justitiamq; novam.
Excute segniciem stupidis, ne retia fraudum
In sua securos nos tuus hostis agat.
Impietasq; animos, vitam corruptio morum
Inquinet, à norma dimoveatq; tua.

DOMINICA MAGNÆ VINEAE, Matthæi cap. 20.

EXVL in hanc tristem vitæ mortalis eremum
Proscribente Deo cum foret actus homo.
In qua transigeret pœnis obnoxius ævum,
Iussa creatoris post violata sui.
Ipse novelletum generosis nobile plantis
Instituit nati victus amore pater.

Vnde

Vnde salutarem credentum pectora succum,
Lætitiæ jugi fonte rigata, bibant.
Quas tibi summe pater tali pro munere laudes
Gratus agat meriti debitor hujus homo?
Quod postliminiò cœlestis vinea vitæ
Excolitur, nato vitisatore tuo.
In quam malleolos non solùm stirpis Ebreæ
Gente sed ex omni transtulit ille suos.
Effice nos tecum coalescere corpus in unum
Cujus adoptati Christe favore sumus.
Neve tuum nomen speciemq; geramus inanem,
Membra bona simus sed tua vera fide.
Fac tua nos habeat genuinos vinea ramos
Et resseces vitis (vitis es ipse) tuæ.
E qua justitiæ potemus amabile vinum
Quod nos in vitæ regna perennis alat.
Et quia nunc vesper graviores invehit umbras,
Judicij distat nec procul hora tui,
Gratuitò nobis promissam porrige drachmam,
Placatum referat cujus imago patrem.
Cujus & hîc precium nostræ sub vespere vitæ
Inter & electos experiamur, Amen.

DOMI-

DOMINICA MAGNÆ SEMENTIS SPARSÆ IN disſimiles agros Lucæ c. 8.

QVas tibi dicamus ſator optime maxime grates,
Semine conſpergis noſtra quod arva tuo?
Inq; novæ ſegetem nos vis adoleſcere vitæ
Horreaq; electos in tua Chriſte vehi.
Effice divina ſubigantur vomere legis,
Et capiant verbum pectora noſtra tuum.
Afflatuq; & ſole tuo perfunde foveq;
Vt ſint frugiferum pectora noſtra ſolum.

DOMINICA ESTO mihi Lucæ 18.

TV tua diſcipulis prædicis funera Jeſu
Luminibusq; orbo lumina reſtituis.
Interea celebrat ſua Bacchanalia mundus
Poſthabito præceps in ſcelus omne Deo.
Mœchus adulterijs ſe polluit, helluo potat,
Turpia nudatus ſacra lupercus agit.

Ethnica

Ethnica nec solùm se talibus inquinat ausis
Notitia veri gens aliena Dei.
Christe sed agnoscit tua quos Ecclesia cives
Sanctiùs heu nihilo se meliusq; gerunt.
Privatis odijs pessundat amicus amicum
Aut falsa specie decipit officij.
In mores abijt quicquid fuit antè probrosum
Omnis honos recti concidit, omnis amor.
In labijs Deus est Evangeliumq;, sed intra
Pectora nec pietas, cura nec ulla Dei est.
At tu colluvie secretos Christe profana
Nos ad relliquias agminis adde tui.
In nobisq; accende tuo de lumine lumen,
Crescat ut aucta tuo munere nostra fides.
Teq; inclamantes lucis vitæq; datorem
Præcones ævum simus in omne tui.

DOMINICA INVOCAVIT Matthæi c. 4.

ADversus satanam dux & commilito noster
Huc ades, & muni nos ope Christe tua.
Ne qui te veritus non est invadere quondam,
Nos circumveniat calliditate sua.

Ille

Ille tuæ fidei triplici quatit ariete murum,
Teq; vel invictum sternere tentat humi.
Nempe fame terret, specie titillat honorum
Regna, potestatem, vim superavit opum.
Sic eadem nobis hodie quoq; retia tendit,
Vt labefactatos avocet officio.
Grex sumus æger, inops, ab amicis nudus, oper-
Cladibus, ærumnis, tabe, labore situ. (tus
Pellimur è medio, loca per tot inhospita passi
Esuriem, stamus sub cruce Christe tua
Exprobrat hocmiseris veterator, & obvia quare
Non fieri panes saxa jubetis? ait,
Mox aliquam cũ nacta tua est Ecclesia pacem,
Doctrinæq; opibus floret & ingenijs.
Invidia tumidas titulisq; cupidine mentes
Pungit, ut in rixas dissidiumq; ruant.
Ac se deijciant alto de culmine templi
Inspergant segeti Zizaniamq; tuæ.
Tum commentitijs erectis undiq; divûm
Numinibus numen vult abolere tuum.
Illis pollicitus se præmia regna daturum
Concipiant flexo qui sibi vota genu.
Hic exurge Deus Satanæq; furoribus obsta,
Nominis ut vigeat gloria salva tui.

Obstricti

Obſtricti pura tibi religione fideq;
Alloquimur verum te colimusq; Deum.
Nec tua majeſtas per nos violabitur unquam,
Nec tuus Idolis attribuetur honos.
Tu modò præſidio ſtipatos cinge tuorum
Spirituum, prope nos qui ſua caſtra locent.
Perq; vias hujus plenas diſcrimine vitæ
In gremium geſtent nos tua membra tuum.

DOMININICA REMINIſcere Matthæi c. 15.

QValis opem Cananæa tuam rogat anxia mater
A furijs natam queſta dolenter agi.
Tales nos quoties crux aut afflictio vexat,
Chriſte tuam precibus ſollicitamus opem.
Illa tulit fidei poſt longam præmia luctam
Per varias victrix te præeunte vices.
Nos etiam fidei tot tentamenta, tot hoſtis
Inſidias ſtabili fac penetrare gradu.
Sperantes in ſpem contra ſpem, pignore verbi
Rem cautam nobis conſtituente tui.
Nec nos exanimet mora terriculumve repulſæ
Damnoſam trepidis injiciatve fugam.

At sumus indigni deformatiq; reatu,
At sumus immundi degeneresq; canes.
Esto. Canes ad te tamen approperamus anhe-
Cursibus, ante tuos procidimusq; pedes. (lis
Expetimusq; tuæ micas analectaq; mensæ,
In qua propositum nectar & ambrosia est.
Cui sanctos adhibes patres sanctosq; prophe-
Nomina quæ cœtus lumina quanta tui? (tas
O per quem justè peccatis debita nostris
Averruncata est vindicis ira Dei.
Qui factus vermis nos rejectanea mundi
Sanguine dignatus purificare tuo es.
O nostram Solare famem te largiter ipso
Relliquijsq; epuli nos ale Christe tui.
Tu desiderium potes exsatiare tuorum,
Tu penus & vitæ panis & esca novæ es.
Ecce quiritatur, Sponsumq; Ecclesia supplex
Duriter à furijs exagitata vocat.
Ecce jacit Satanas in te convicia mendax,
Vt spoliet merito nomen honore tuum.
Decipiatq; animos aversos tramite veri,
Et faciat verbis indubitare tuis.
Hunc precor errorem, nobis hoc excute mon-
Iste leo ne nos devoret, affer opem. (strum,

Igne

Igne tuo noſtras penitus ſuccende medullas,
Robur ut aſſumat languida noſtra fides.
Optatiq; ſui fiat cum fœnore compos
Et memori laudes prædicet ore tuas.

DOMINICA OCVLI, Lucæ 11.

NON caro, non ſanguis, ſed Spiritus ille malignus,
Chriſte, premit bello proſequiturq; tuos.
Obſervatq; aditus omnes anſasq; nocendi
Eſuriens clauſas ut lupus ambit oves.
Hunc armis hoſtem, hunc ſpolijs, hunc exue re-
Obſeſſaq; atrij de ſtatione move. (gno
Aſpiraq; tuam, quæ nos corroboret, auram,
Ejus ut incaſſum ſpicula jacta cadant.
Nos quibus inceſſit, ſcopulisq; illidere tentat
Funditus ut pereat naufraga noſtra fides.
Atria pectoris hæc noſtri ne quæſo latronis
Speluncam fieri proſtibulumq; ſinas.
Sed fac ab illuvie purum cacodæmonis omni
Sit templi ſedes & penetrale tui.

In quo nũc habites, in qua tua mãsio quondam
Continuet gratam tempus in omne moram.

DOMINICA LÆTARE, Ioan. cap. 6.

QVi sine materia, sine semine cuncta creâsti,
Machina complexu quæ fovet ista suo:
Qui Iacobigenis de cœlo manna dedisti,
Tesqua per Arabiæ dum sitientis eunt:
Qui varijs ditas redimitum frugibus annum,
Cujus alit tellus munere quicquid alit,
Fragmina cui panis, cũ millia quinq; cibares,
Inter abundantes crescere visa manus.
Huc quoq; verte tuos oculos, hanc aspice turbam,
Quæ confisa tibi ptndet ab ore tuo.
Cui nisi prospicias, nisi tu nutritius adsis,
Qui sustentet eam, qui tueatur, ubi est?
Da rogo, nostra tua spes in bonitate sit unâ
Fixa, nec humanis dedita consilijs,
Et nos à numeris, modijs, rationibus abduc,
Anxia metiri quas caro nostra solet.
Tu promus, condus, tua sunt penus, horrea, cellæ,
Inq; domo magna magnus es Oeconomus.

To

Te pandente manum, qua providus omnia pa-
Et nobis aliquid, quo saturemur, erit. (scis,
Depulsaq; fame vitam tolerabimus istam
Numine quæ solo spirat alente tuo.
Si non arma tuos nec propugnacula cingunt,
Fossa nec inducta vallat & agger aqua.
At tu vel viridi positis in gramine murus
Igneus, arx, rupes, anchora, portus eris.
Donec in æthereas te migrent auspice sedes,
Et tecum celebrent Pascha perenne tuum.
Interea cophinos, in quos congesta legamus
Frustula, de mensa quæ cecidere tua:
(Nempe Scholas, methodumq; faculatemq; do-
Ingenuas artes notitiamq; tui:) (cendi
Incolumes serva, sartos tectosq; tuere,
Suscipe discentum mite patrocinium.
Ne deserta tui jaceant plantaria regni,
Fama propagetur nominis unde tui.

DOMINICA IVDICA,
Ioannis cap. 8.

PRopria Christe quidem tua vox sed consona vero
Gloriaq; hæc uni debita jure tibi est.

Quòd

Quòd tibi nemo loco maledicti ponere quic-
Quòd sceleris posit nemo coarguere. (quam
Tu Deus & verbis non enarrabile verbum,
Vivaq; es æterni veraq; imago patris.
Te pater ad patres est oratore locutus,
Tu patris inspiciens intima sensa tenes.
Tu tibi selectum nunquam non agmen adoptas
Quod salvum facias agnitione tui.
Nos quoq; diductos à colluvione profana
Agminis illius junge sodalitio.
Et qui verba sonas vitæ, primordia vitæ
Pectoribus nostris ingere luce tua.
Mortis ut horrendum chaos infernique pavores
Nostra tuo vincat robore freta fides.
Et nihil hoc nobis optatius accidat uno,
Quàm faciem æternùm cernere posse tuam.

DOMINICA PALMARVM, Matth. cap. 21.

REgis Alexandri victis redeuntis ab Indis
Pompa, tui luxus æmula Bacche, sile.
Cedite Romani spectacula vana triumphi,
Fercula, currus, equi, laurea, picta toga.

Ite

Ite rubri medias impunè per æquoris undas
Iudæi, baculo Mosis agente viam.
Omne tace, toto mirabile, grande, superbum,
Post homines natos quicquid in orbe fuit.
Huc oculos converte Ston, hunc aspice Regem,
Quem tibi sessorem mitis asella vehit.
Hic pacis Princeps, hic invictissimus heros.
Imperium genitor cui sine fine dedit.
Qui bello fractos dominatū exercet in hostes,
Qui fieri regno vim vetat usq; suo.
O quater, & quantum non est numerare, beati,
In commilitium quos legit ille suum!
O felix pullus veterinæ junctus asellæ,
Quàm benè conveniunt Semus & Japetus?
Ille fatigatus sudore laboris & æstu,
Sustinet impositæ dum grave legis onus.
Iste sed infrenis, vix arte domabilis ulla,
Clitellasq; rudis ferre jugumq; pati.
Gratia Christe tibi, quòd utraq; ex gente gregis
Agminis excerpis consociasq; tui. (gales
Jus quibus in regno des municipale superno,
Quos maneat summi vis opulenta boni.
Quæso tui cives etiam nos effice regni,
Et refer in vitæ nomina nostra librum.

Vtq; tibi palmæ thyrsos oleæq; virentes
Præferimus ramos, subjicimusq; togas.
Teq; salutamus Satanæq; & mortis & orci
Debellatorem paciferumq; ducem.
Sic in curriculo rege nos & protege nostro,
Ne te destituat languida nostra fides.
Sed tibi per clades constanter adhæreat omnes,
Cœlestem in patriam dum faciamus iter.

DIE PASSIONIS DOMINICAE, Isaiæ cap. 53.

IESV Christe Deo Deus edite, gloria patris,
Idem facte hominum nomine verus homo.
Per quem de nihilo fabricatus hic extitit orbis,
Quem pater ad dextram collocat ipse suam
Quò tua majestas rex illustrißime regum,
Quò virtus abijt, quò decor ille tuus?
Nuper adhuc solitus mundo præbere vigorem,
Sideraq; & Solem pascere luce sua.
Quò tua divini species evanuit oris,
An tibi credibile est numen inesse Dei?

Cùm medius diros inter pendere latrones
De cruce probrosum conspiciaris onus.
Tu velut effœti venies stolo candice ligni,
Arida ceu radix in sitiente loco.
Ceu purgamentum, ceu pondus inutile terræ,
Ex hominũ numero ceu removendus homo.
Nausea sic oculis, sic prætereuntibus horror,
Fabula sic populo, sanna, catharma, tuo es.
Omnes alloquio te dedignantur, & omnem
Defugiunt aditum contuitumq; tuum.
In pœnas data vita tibi est, in vulnera corpus,
Terriculiq; instar sola vel umbra tua est.
Et tamen heu nostros languores ipse tulisti,
Nos ignominiæ nos tibi causa sumus.
Noxa penes nos est, fraudem concepimus ipsi,
Tu nostro pateris nomine supplicium.
Nam quid dissimilẽ veluti sine lege vagantur,
Vnamquamq; suus quò rapit error oves.
Tramite sic recto nos declinavimus omnes
In diverticuli devia quisq; sui?
Tu verò reduces ut patri sistere posses
Factus es è summo servus & exul hero.
Et scelerum, quæ nos immani mole premebant,
Imposita est humeris sarcina tota tuis.

Quem

Quem quasi mancipium subijsti sponte laborem
Quod citra fremitum fers patienter onus.
Non secus ac mutus tonsuræ subjacet agnus,
Subsequitur ductum ceu lanionis ovis.
Ergò tuos lato clausisti fine dolores,
Præmiaq; hæc obiti victor agonis habes.
Quòd sua tormentis & pœnis meta reperta est,
Quòd mundus, Satanas, mors superata jacet
Quòd redivivus agis regnum in cœleste trium-
Quòd series generis lõga futura tui est. (phũ,
Ante quidem nemo, qui te sepeliret honestè,
Cum scelus ob populi percutereris, erat.
Quamlibet admissi nullius conscius esses,
Inventusq; tuo nullus in ore dolus.
Sed quia nostra tuo peccata cruore piasti,
Posteritas finem non habitura tua est.
Decretumq; Dei totum penetrabit in orbem
Auspicijsq; tuis teq; adhibente manum.
Cumq; laborantes autoramenta sequantur,
Ecce tuo merces digna labore venit.
Nam tu (justitiæ fons augustissime) multos
Efficies justos agnitione tui.
Accedentq; tuis opulenta peculia prædis,
Nec fortes tuti, quin spolientur, erunt.

Nulla tyrannorum vis, nulla potentia mundi
Te remoratura est curriculumq; tuum.
Sed tua pervadet gentes extenta per omnes
Fama, decus, meritum, gloria, nomen, honor.
Et collecta tuo felix Ecclesia verbo
Laude vehet verum te sine fine Deum.
Pontificis quoniam summi tu munus obibas
Sacrificus factus victimaq; ipsa patri.
Tu nostram propria pensabas morte salutem,
Gratia, pax, venia est sanguine parta tuo.
Tu socius nostra vice censebaris eorum,
Qui meruere nefas ob capitale necem.
Ignosciq; tuis orabas hostibus, ulli
Ne foret utilitas mortis adempta tuæ.
Ab etiam nobis, qui te pendemus ab uno,
Janua ne veniæ sit rogo clausa tuæ.
Sed memor esto, tuæ quòd oves sumus, optime
pastor,
Ponebas animam pro quibus ipse tuam.

PARS

PARS Secunda.

DIE PASCHATIS, Marci cap. 16.

SALVE festa dies, qua radix arida Jessæ
Induit in florem se rediviva novum.
Qua Deus emergens triduanæ carcere mortis
Fert commilitibus præmia larga suis.
Qua victor superas vexillum tollit in auras
Imperij specimen principiumq; novi.
Imperij, totus sub quod subjungitur orbis,
Imperij, cujus gloria fine caret. (in omnes
Christe per unum hominem ceu mors intravit
Sic precio unius vita redemta tuo est.

Tum caro terrigena est & rursum debita terræ
Quam circumferimus corpore quisq; suo.
Terra pijs autem non est onerosa, nec horum
Obruta perpetua corpore mole premit.
Cùm reprobis eadem sit ineluctabile claustrum,
Ad sedem nequeunt undè venire Dei.
Ex quo sarcophagi sunt dormitoria nostri
Iure sepulturæ sanctificata tuæ. (pulcrum
In quibus angelicus chorus excubat ante se-
Ceu fuit in speculis & statione tuum.
E quibus eluvies Cacodæmonis exulat omnis
In quibus ô placidè corpora nostra cubant.
Donec in exuvias animæ redeundo priores,
Se sistant solium judicis ante tuum.
Condemnetq; malos nota mortis inusta secunda
Gloriaq; electos ornet honore novo.
O ades & nobis illuceat effice tandem
Splendidus extremi Paschatis ille dies,
Quo nostri cineres deleta morte resurgant,
Accedantq; pijs te sociante choris.
Perpetuaq; arctè tibi consuetudine juncti
Te semper celebrent, intueantur, ament.

DIE SECVNDA PASCHATIS, Lucæ cap. 24.

MAxime pontificum, precio cui sanguinis emtus
Competit officij pontificalis honos.
Quem pater omnipotens afflatum desuper un-
Et sine mensura cui sua dona dedit. (xit,
Ecce tuæ radios obscurat vespera lucis,
Ultimaq; exacto non procul hora die est.
Ne precor á nobis discedito magne magister,
Sed cum discipulis usq; maneto tuis.
Sicut Emavitis comes & congerro duobus,
Cum de te queruli colloquerentur, eras.
Frange tuum nobis panem, nostrasq; reiecta
Illustra tenebras agnitione tui.
Vt grege præsentem te contueamur in illo,
Qui recitat laudes tempus in omne tuas.

DIE III. PASCHATIS, Lucæ cap. 24.

GRatia Christe tibi, quòd per te nostra revixit,
Quòd patris ad dextram nostra locata caro est.
Effice perpetuæ qui vitis es unica vitæ,
Capreoli simus coliculiq; tui,
In te qui maneant, inolescit ut insitus udo
Arborei libro surculus induvij.
Pelle graves animis tenebras, reseraq; potenti
Nostra tuo digito pectora, clave tua.
Nempè tuo flatu, cujus de fomite lumen
Influit in mentes cujus ab igne calor.
Qui præbens aditum vitæ gustumq; futuræ
In superæ ducit nos penetrale domus.
Qui nos justitiæ nudos investit amictu,
Qui veniam monstrat te tribuente dari.
Doctrinæq; tuæ sensus mysteriaq; edit,
Discipulisq; tuis abdita plana facit.
O idem nobis & adesto mortis in hora
Et stabili firmet territa corda fide.

DIE DOMINICA IN ALBIS, seu Quasimodogeniti, Ioan. c. 21.

QVIS chorus egreditur lustralis fonte lavacri
Quem niveo Sindon pura nitore tegit?
Quid prælata manu sibi vult creberrima lāpas?
Cur quasi jam natis lac datur, esca mel est.
Fallor, an his hominum quondam synagoga
Ritibus in festo Paschatos usa fuit? (piorum
Cum baptizatos & Christo nomina dantes
Corporis acciperet, membra novella sui.
An quia justitiæ vestem stola candida signat,
Lampas, notitiæ flammaq; luxq; Dei est?
Lac & mel referunt divini pabula verbi,
Vtq; fides tenera est, sic tener ipse cibus.
Sic pendére tuo nos semper ab ore docentis
Infantesq; decet Christe manere tuos.
Vt tuus in nobis habitans dictata loquatur
Spiritus arcano de patris hausta sinu.
Suscipe nos igitur, mollem ceu mater alumnum
Admovet ad mammas in gremioq; fovet.

Inq; tuas plagas involve, salutis ut unda
De latere orta tuo crimina nostra lavet.
Vivificusq; tuus sanguis nos servet alatq;
Ad bona promissi fœdere pacta tui.
Ex animo te fac dominumq; Deumq; vocemus
Ceu vocẽ hanc Didymus te præeunte sonat,
Cum prius è tumulo te surrexisse negaret,
Nec condiscipulis vellet habere fidem.
Sit procul à nobis incredulitatis hic error,
Tu Deus es verax nec tua vana fides.
Tu Deus omnipotens, tu nulla lege teneris
Omnia sunt jussis obsequiosa tuis.
Tu tibi qui credunt, ea quæ non obvia cernunt,
Illos in media vivere morte facis.
Illos cum latitant intra conclave trementes,
Exhilaras lucis lætitiæq; dator.
Illis inspiras flammam patriq;, tuamq;
Illis ostendis vulnera Christe tua.
Effice credamus tibi confidenter Iesu
Æternamq; in te vitam habeamus. Amen.

DIE DOMINICA MISERICORDIAS DOMINI, Ioannis cap. 10

CHRISTE tuæ cum simus oves, gregis ipse magister
Respice Christe tuas magne magister oves.
Scis, ovis errorē quod prona feratur in omnem
Prædones inhiant, cui sine fine lupi.
Quæ tamen agnoscit, vocem ductumq; magistri
Pabulaq; insequitur quo jubet ille loco.
Rursus oves cui sunt & res pecuaria cordi,
Quiq; est upilio, qualis es ipse bonus.
Et notas habet, & pastum & comitatur aquatum,
Dispersasq; suas voce gubernat oves.
Quærit aberrantes, scabras fricat, abluit, ungit,
In gremio fœtas invalidasq; gerit.
Raptoresq; lupos canibusq; pedoq; repellit,
Pro gregis haud dubius velle salute mori.
Non sic ille, suo qui ponderat omnia quæstu,
Pastorem quem spes efficit una lucri.

Qui lanam qui lac ovium tantummodo captat,
Non sibi commissum curat amatq; pecus.
Quem medicas adhibere manus ad vulnus &
Perdita scrutari, fracta ligare piget. (ulcus,
Qui veniente lupo cernens instare periclum
Deserit imbelles perfidiosus oves.
Tales Christe tuis refugas ab ovilibus arce,
Præfice, sincerè qui tua verba sonent.
Legitimè nobis tua sacramenta ministrent,
Nos vitæ revocent in melioris iter.
Afflictis animis solatia debita dicent,
Exemploq; bono sint præeantq; gregi.
A quibus ambitio maledicendiq; libido
Absit & invisum crimen avaritiæ.
Adde magistratum, cui custodire voluptas
Vnica sit tabulam legis utramq; tuæ.
Conservare scholas, cœtus nutrire piorum
Civibus injustam vim prohibere suis.
Emendare malos mores, defendere pacem,
Ius æquale suo dicere cuiq; loco.
O custos animarum, ô archiepiscope noster,
Insere quæso tuo nos bone Christe gregi,
Ede tuam vocem nostris in cordibus intus,
Nostra calore tuo frigida corda fove.

Suppedita

Suppedita nobis divini pabula verbi,
Inq; tuo gesta nos tua membra sinu.
Et vitam in nobis hic exordire perennem
Quæ patris in regno perficiatur. Amen.

DOMINICA IVBILATE, Ioannis cap. 16.

SIC tamen à nobis proficiscere dulcis Iesu,
Vt mora sit reditus non diuturna tui.
Nam tua nonnunquam licet occultatio prosit,
Nostra coërcetur dum cruce pressa caro.
Agnoscat proprium quò castigata reatum
Supplicio noxæ commonefacta suæ.
Quantaq; sit moles patriæ consideret iræ,
Ob quam te fuerit Christe necesse mori.
Perfugiumq; tuis ac portum quærat in ulnis,
Instanterq; tuam mæsta requirat opem.
Corruit in mortem tamen infernisq; tenebras,
Luce sit aspectus si viduata tui.
Ergo tua nobis ades opportunus in hora,
Teq; repræsenta subsidioq; veni.
Ecce velut mulier, partum quæ nixibus edit
In dubio vitæ plena dolore jacet.

Non secus admissi nos angit sarcina nostri
Heu quibus ærumnis, heu quot onusta malis?
Tu verò, cui prima hominis debetur origo,
Da novus in nobis exoriatur homo.
In quo labe carens tua restituatur imago,
Qui tecum vitam non moriturus agat.
Interea matris residet ceu fœtus in alvo
Seq; animæ arcana vi vegetantis alit.
In verbo sic Christe tuo maneamus, & intra
Vincula doctrinæ fasciolasq; tuæ.
A terraq; oculos fidei tollamus in altum,
Optantes, reditus adsit ut hora tui.
Donec in alterius jucundo lumine verbi
A facie ad faciem te videamus. Amen.

DOMINICA CANTATE, Ioannis cap. 16.

NOS quoq; Christe tuus contractæ nomine culpæ
Spiritus objurgans taxet, agatq; reos.
Fac reprehendẽti docilem præstemus ut aurem
Terreat offensi nos gravis ira Dei.

Causa

Causa reperta mali medicum perquirere co-
Vniusq; tua convaleamus ope. (gat,
Quippe suos nævos immundiciemq; pudendam
Nostra nec agnoscit nec caro nosse potest.
Sed folio fici sese tegit, instar Adami,
Et disciplinam jactat inepta suam.
Quæ neq; peccatum neq; diram tollere mortem
Nec consolari tristia corda potest.
Ast Evangelij sapientia solius hæc est,
Scire nihil præter vulnera Christe tua.
Et tuus ad patrem quod transitus unica vita,
Unica nostra salus, unica justitia est.
Hanc nos justitiam, quæ te requiescit in uno
Seq; tuo fulcit, nixa favore, doce.
Et verum fidei nobis da robur & auge
In dubium ratio ne tua verba vocet.
Sed merito sit certa tuo peccata remitti,
Auxilijq; levet spe sua damna tui.
Dum tua se nobis ostendat gloria coràm
Perpetuoq; unum cum patre simus, Amen.

DOMINICA VOCEM
Judicantis Joann: c. 16.

ORATIO DOMINICA.

QVi sursum transferre jubes nos corda, Deiq;
Implorare patris non dubitanter opem.
Et tua cum gemitu misces suspiria nostro
Votaq; juratam das fore firma fidem.
Efficе Christe, patrē quibus appellamus, ut æquo
Has animo nostras audiat ille preces.
Vera tui toti patefiat notio mundo
Quoq; decet cultu concelebrére Deus.
Occidat idolis deletis omnibus error,
Hæresis, impietas, secta, superstitio.
Dum sumus in vita hac (si vita vocanda, tot ipsâ
Formidanda magis quam mala morte premunt.)
In nobis regni jace fundamenta, quod olim
Vita perficias in meliore, tui.
Conformes nos redde tibi, cedatq; voluntas
Nostra voluntati morigerata tuæ.

Suffice

Suffice mortalis quæ corporis exigit usus,
Donec in hoc peregrè degimus exilio.
Da veniam lapsis, ceu condonamus & ipsi
His, aliquo nobis qui nocuere modo.
Vox tua prælata face discussisq; tenebris
Nos regat, & tutos præstet ab insidijs.
Quas dirus Satanas, quas hæc confusio mundi
Quas nobis adhibet propria nostra caro.
Denicq; perfunctos cunctorum mole laborum
In superna tecum fac habitare domo.
Noster enim rex es, tuaq; est immensa potestas
Gloriaq; hic agitur nominis una tui.

DIE ASCENSIONIS DOMINICAE, Marci cap. 16.

CHRISTE triumphali trans ardua nubila gressu
In superas hodie scandere vise domos.
Qui patris ad dextram Deus indivisus homoq;
Magnificeq; sedes imperiumq; tenes.
Qui Satanæ, qui peccati, qui mortis & orci
Carcere perfracto vincula nostra levas.

Suscipis

Suscipis æterno pro nobis vota parenti,
Erigis afflatu nos stabilisq; tuo.
Nobiscum loqueris præconum voce tuorum
Semper ades nobis fidus ubiq; comes.
Extremaq; die rursum apparebis in arcu
Iridis, & judex totius orbis eris.
Quæsumus extractos è mundi sortibus hujus
Quærere quæ sursum sunt, ubi es ipse, doce:
Mitte catechistas rectè tua verba secantes,
Doctorem in nostris cordibus intus age.
Principium vitæ nos hîc gustare perennis
Inq; tui facias agnitione mori.
Vt quondam cœli redeuntem in nube serena
Te lætis oculis intueamur. Amen.

DOMINICA EXAVDI,
Ioannis cap. 15. & 16.

HAlitus omnipotens venientis cælitus aura
Mutuę tum nati tum genitoris amor.
Quem pater & natus spirant in corda piorum
De quo fonte fluit quicquid ubiq; boni est.
Nostra quidē vitio primorum lapsa parentum
Nudaq; natura est prbaq; patre suo.

Quem

Quem fugit admissæ nimis heu sibi conscia fraudis,
Vltorem sceleris quem tremefacta timet,
Cujus ut excußit præcepta jugumq; magistri:
Sic tua patroni desijt esse cliens.
Sed veluti rursum nos cum patre filius unit:
Sic nati socios sic facis ipse patris.
Esto paracletus noster, solare paventes
Erige conspectu pectora nostra Dei.
Ad cœleste jubar torpentes evehe sensus,
Irradia mentes agnitione tui.
Effice divinæ, sit congrua nostra voluntas,
Necte ligamento corda diremta tuo.
In nobis accende facem fideiq; precumq;
Et Christum verum testificare Deum.
Nec sine nos propter subeunda pericula frangi,
Doctrinæ studio plurima juncta tuæ
Sed labefactatos præsenti numine fulci,
Infirmisq; tui roboris affer opem.
Vt nihil attoniti, nos esse piacula mundi,
Sub cruce constantes permaneamus. Amen.

DIE

DIE PENTECOSTES

Actor. 2.

SPiritus alme patri natoq; per omnia com-
Personæ dispar proprietate Deus. (par
O animis hodie bis sex infuse virorum
In quibus exarsit flamine lingua tuo.
Lingua potens omnes imitari dædala linguas
Gentibus & verum notificare Deum
Qui resipiscentes in solo quærere Christi
Spem veniæ merito perfugiumq; doces.
Qui vestis animas vitæ novitate renatas
Conformesq; facis concilioq; Deo
Qui regis anfractu captos & fraude viarum:
In verumq; tuo lumine ducis iter.
Qui discordantes, odijs immanibus arctæ
Glutine devincis rursus amicitiæ.
Qui varijs donis exornas instruis armas
Quos Jesum populi ferre per ora jubes.
Qui tibi simplicium gaudes in pectore sedem
Figere, nulla cui corda superba placent.
Per quem cuncta vigent, vivunt, recreantur, aluntur,
Machina quæ vasto continet ista sinu.

Huc

Huc ades, affectus vicioſe comprime carnis,
Ne vetus in nobis prædominetur homo.
Huc ades in noſtris tibi cordibus exſtrue tem-
Et tales motus, qualis es ipſe, cie. (plum
Huc ades & frigus naturæ diſcute noſtræ
Et fotam calefac numinis igne tui.
Huc ades, & nobis animarum confice pacem
Nec ſine nos à te ſub cruce deficere.
Huc ades, & natum quo jungis amore parenti
Conſocia vero pectora noſtra Deo.
Huc ades & nobis bona, quæ largitus es, auge
Præcipueq; tuum dulce (hariſma fidem.
Et nos ſic tenebras penetrare ſac hujus eremi,
Luce viatores anteeunte tua.
Ne ſcelerum maculis, ne nos ambagibus ullis
Implicet errorem decipiatq; Satan.

DIE SECVNDA PENtecoſtes Joan. c. 3.

POndera verborũ ſunt admiranda tuorum
Tota referta quibus concio Chriſte tua eſt.

Sic

Sic Deus, ignis edax, Zelotes fortis, & ultor
Criminis, iratum quem caro ferre nequit.
Ille Deus, rerum sator, immutabile numen,
Justitiæ qui fons ipsaq; justitia est.
MVNDVM, quem poterat capitali subdere pœnæ,
MVNDVM, quem poterat perdere jure suo,
DILEXIT, veroq; animi complexus amore est,
Dederet ut natum (res age quanta?) suum,
Vnigenam natum, quo charius ecquid habebat?
Pignore quo majus quod daret, ecquid erat?
Dederet ut noxæ natum, qui victima patris
Justitiæ propria morte satisfaceret.
Vt meriti fructum quisquis sibi vendicat hujus
Injecta fidei non titubante manu.
Ne pereat letho datus, immortale sed ævum
Cælituum sancta sede receptus agat.
En tibi, qui methodum vitæ normamq; beatæ,
En tibi, qui quæris posse placere Deo.
Patris amor, nostræ caput est & origo salutis,
Filius est, per quem nostra redemta salus.
Nostra fides manus est instrumetumq;, prehensa,
Sola, boni quicquid vita perennis habet. (dens
Christe

Christe meas quæso tua lux illuminet umbras,
Notitiaq; patris notitiaq; tui.
In corq; ista meum dulcissima verba loquaris,
Vltimus instabit cum subeundus agon.
Verba, voluntatem patris attestata tuamq;,
Verba, quibus fidei est anchora fixa meæ.
Ne reus æterni factus patris ante tribunal
Terrear aspectu deficiamq; mei.
Sed te, qui medius datus inter nosq; patremq;
Iustitiæ monstrans illius objiciam. (es,
Promeritoq; tuo noxa pœnaq; solutus
Æternam per te vitam adipiscar. Amen.

DIE TERTIA PENTECOSTES, Ioannis cap. 10.

O Gregis electi dux, armentarie, custos,
Ianitor ô stabuli januaq; ipsa tui.
Qui fures aditu prohibes diros q; latrones
Tentantes vetitas in tua septa vias.
Qui foris affaris præconum voce tuorum
Intus vi digiti corda recluſa tui.

Ne

Ne nos deserito vigil & fidissime pastor,
Ne sinito prædæ turpibus esse lupis.
Qui peculatores avertunt pabula vitæ,
Qui tibi sacratas depopulantur oves.
Sed rege, sed præcede gregẽ, sed pasce pusillum,
Sed gregis in medio semper adesto tui.
Ejice pestiferos doctores ejice, caulam
Qui non introëunt te præeunte tuam.
Æterniq; patris nobis ostendito pectus,
Placatum precio sanguinis esse tui.
Inter & ærumnas nos degustare futuræ
Primitias vitæ lætitiamq; doce.
Ne crucis in lucta graviore caduca fatiscat
Non recreata tuo nostra vigore fides.
Sed tecum una caro, tecum maneamus & unum os,
Tempore qui nullo dissociemur. Amen.

DOMINICA TRINITATIS Joan. c. 3.

OMnipotens æterne Deus, fons vive bonorum,
In tribus existens unus hypostasibus.

Ceu

Ceu radius lucem ſpargens, lux ſparſa calorq̃
Solis in uno inſunt, tripla ſed ipſa globo.
O pater, ô fili, conſorsq̃ illius & hujus
Spiritus, in triplici numine numen idem.
Per quẽ de nihilo cœlumq̃ & terra creata eſt,
Angelicæq̃ acies & microcoſmus homo.
Qui generis noſtri magno perculſus amore,
Ne reus æterna morte periret homo.
In mortem proprium natum pater ipſe dediſti
Vt lueret mulcta debita noſtra ſua.
A quo progrediens agitat pia corda tibiq̃
Copulat effuſus Spiritus ore tui.
Reſpice nos placido vultu, peccataq̃ nati
Ablue panchreſto noſtra cruore tuo.
Reliquias aliquas tibi ſeminis aſſere ſancti
Semper in hac cœtum collige gente tuum.
Protege regna, tuis quæ diverſoria præbent,
Fac nos vaſa domus uſibus apta tuæ.
Chriſte Dei ſplẽdor, ſapientia, ſermo, character
In quo ceu ſpeculo ſe videt usq̃ pater.
Indice quo pater eſt interpreteq̃ omne locutus
Decreti placitum propoſitiq̃ ſui.
Qui nexu Satanæ vinctos pœnæq̃ perenni
Addictos redimis conciliasq̃ patri.

Pro nobis precio dum sufficiente soluto
Sponte crucis pendes de trabe factus homo,
Vnde DEI ad dextram patris exaltatus, & unctus
Munia pontificis munia regis obis.
Donaq; das nobis compellatoq; parenti
Suppliciter nostro nomine vota facis.
Te rogo, membra tui nos redde fidelia tanto
Prælatoq; tui luminis igne rege.
Vt novus, absterso pollutæ labe senectæ,
Prodeat in nobis utq; adolescat homo.
Qui culpam caveat, qui vitam puriter actam
Ad tua conformet jussa, tibiq; probet.
Exemtosq; malis tandem cunctisq; periclis
Æterna fac nos usq; quiete frui.
Spiritus, in facie primùm conspecte columba
Mobilis in flammæ vise deinde typo.
Quem pater & natus credentibus intus inhalant,
Justitiæ qui dux es fideiq; dator.
Quæsumus obscura nostras in nocte sepultas
Clarifica mentes agnitione Dei.
Flecte voluntates, quo Christo credere discant,
Nostraq; ad obsequium pectora coge tuum.
Firmiter

Firmiter ut vita tibi adhæreſcamus in iſta
In cœlosq́ obita morte vehamur. Amen.

HENRICI HVSANI IC. CANCELLARII MEGAPOLITANI, Precatio ad DEVM cotidiana.

TE Pater imploro, rerum dominator & autor,
In verbo pateſacte tuo, natiq́ beati
Agnitione tui, qui pignus amoris & arrha eſt
Gratuiti, quo nos inſertos diligis ipſi.
Qui ſine materia prius exiſtente creaſti
Ex nihilo, ſola verbi virtute potentis,
Auram animæ ſecum vitaq́ vehente vigorem,
Omnia quæ magni complectitur orbita mundi,
Singulaq́ in propria ſtatione locata tueris.
Impia qui delens ſcelera inſanabilis orbis,
Cum paſſim genus omne hominum genus omne ferarum
Diluvium abſumens hauriret gurgite vaſto,
Servaſti juſtumq́ Nohan, nautasq́ minores,

Et capitum lectum specie de qualibet agmen,
Cuncta suis stabulata locis quæ immane per æquor
Fluctibus & ventis obnoxia nobilis Argo
Portabat quondam reparandi semina mundi,
Donec in Armenia septeno mense resedit
Dulce onus, & pressit montes impunè superbos.
Quiq; Ægyptiacis gentem Israëlis ab oris,
Durum sub Pharaone jugum malaq; ultima passam,
Per mare Mosaicæ discluſum verbere virgæ
Duxisti incolumem, latere ex utroq; recurvis
Montis in effigiem prærupti stantibus undis
Et populo siccis pedibus calcante profundum,
Mox recidivo altis pelago absorbente procellis
In profugos cupidi ferro sævire tyranni
Armaq; castraq; quadrupedesq; rotasq; viroſq;
Teq; æterna Dei mens & sapientia patris,
Quem genuit se contemplans in seq; reflexus
E proprio pater ipse sinu, ante exordia rerum,
Qui patria virtute potens patriaq; refulgens
Luce repræsentas patris instar imagine viva,
Cum patre qui totum hoc fabricasti illustre theatrum,

Cui

Cui structura dedit mundi pulcherrima nomen
Christe Deus, casta dignate in virgine carnem
Induere humanam, & lapsam instaurare salutem,
De quo voce sua pater exclamavit ab alto,
Filius hic meus est, in quo mihi summa voluptas,
In quo cuncta placent, huic aurem adhibete magistro.
Et te, qui renovas mentes ab utroq; profectus,
Halitus omnipotens, patri natoq; coævus,
Quem valido venti sonitu per inane ruentis
In dispertitas effudit ab æthere linguas
Igne coruscantes tremulo & splendoribus aureis
Et pater & natus, quo cuncta agitante moventur,
Omnia divini qui incendio amoris inundas,
Pectora nostra faces quo subjiciente calescunt,
Qui vitam insinuas animali in corpora flatu,
Progenitumq; fovens exceptam molliter omnem
Inter nascentis tenera incunabula mundi,
Summa vehebaris levibus super æquora flabris
Mater ut incubitans fovet ova tepentibus alis,
Quiq; thori solus genitali munere functus

Inlactam Mariæ gravidasti virginis alvum,
Desuper incumbens fœcundis umbrifer auris,
Filius undè Dei conceptus & editus orbi est
Factus homo, nullamq; trahens ab origine labem,
Quem pòst in faciem collectus & ora columbæ
Explicitisq; vibrans supra caput illius alis,
Iordanis liquido cùm lustraretur in amni
Monstrasti cuneis congressæ in littore turbæ.
Simplex in triplici Deus in tribus unus & idē,
Nullius spatio qui circumscriberis ævi,
Cujus in immensum, patet infinita potestas,
Cujus inexhausto veniæ ubere gratia plena est,
Omnis origo boni, sapiens, justissime, verax,
Caste, verecundi custos vindexq; pudoris,
Liber, & ad causas nusquam angustate secundas,
Qui gemitus audis latebrasq; introspicis omnes,
Cordis & humani penitus scrutaris abyssos,
Teq; pijs precibus mandas in vota vocari,
Et fore promittis non irrita vota vocantum,
Da mihi te placidum, noxam miserere fatenti
Vnigenam propter natum, qui victima factus
In cruce pro nobis, & inenarrabile nostræ

Prorsus

Prorsus & ignotum rationi protulit illud
Consultum orator divini insigne senatus
Arcano è patris archivo, quo vita salusq;
Omnibus est decreta pijs, promissaq; gratis.
Qui precio mortis sontes è morte redemit,
Chirographumq; suo delevit sanguine nostrum
In quo nos recipis pater, exaudisq; precantes,
Atq; cohæredes vitæ immortalis adoptas.
Imbue, flecte, move, rege, duc, accende, docq;
Hanc animam, hos sensus, hujus penetralia cordis,
Luminis igne tui, nexu cœlestis amoris,
Fonte renascendi, divinæ interprete pacis,
Vt vera dominum te cognitione patremq;
Appellem, firmaq; fide quæ postulat usus
Corporis atq; animæ possim exorare rogando,
Et grato meritas dicam tibi pectore laudes.
Cumq; homo sim, quo nulla animans infirmior uno est,
Functioq; innumeris mea circumsepta periclis,
Quam variæ insidiæ quasi clausam indagine cingunt,
Meq; gerendarum moles premat ardua rerum,
Cui mea debilitas succumbit viribus impar,

Vt nequeam moresq; meos operumq; labores
Sic regere, officij ceu lex & norma requirit,
Propterea tuus ille mihi dux Spiritus adsit,
Accensamq; facem divina è fomite lucis
Præferat in tenebris dubiarum & fraude viarum,
Et gressus regat, & vestigia firmet euntis,
Vt nisi quod justum est, aliisq; salubre mihiq;
Nil mediter, dicam, faciam, nullisq; moveri
Proposito à recto patiar me affectibus unquam.
Et quoniam fundosq; meos vis major & ædes
Occupat, & spolio me injustè affecit acerbo,
Lege nec inferior possum frenare potentes,
Qua licet experiar, causaq; & judice tandem,
Mille per anfractus, curas, impendia vincam,
Actio deficiat tamen atq; peractio legis,
Nec sit ad obsequium undantes qui adducat habenas,
Idcircò tibi, quanta mea est injuria, totam
Vni commendo, tua jurisdictio justa est,
Tu personam in judicio non respicis ullam,
Tu reges summosq; duces, qui vincula legum
Laxa sibi faciunt, alijs strictissima nectunt,
Cedere justitiæ & fasces summittere cogis,
Magnaq;

Magnaq; magnates tormenta infligis in ipsos.
Da precor istud onus, quod crimine perfero nullo,
Sustineam patienter, inoblitusq; decori.
Hoc unum mihi, nunc alijs communia mecum.
Contere sub pedibus dirum cacodæmona nostris
Pasce tuo mentes verbo, defende piorum
Agmina, terrarum latè dispersa per orbem.
Inq; tuam segetem messores mitte fideles,
Inq; viam revoca, quos devius abstulit error.
Collige dissectas tot in uno corpore sectas,
A quibus heu tua sancta graves Ecclesia plagas
Accipit, & tristi gemitu sua vulnera deflet.
Da noster justis Cæsar stet victor in armis,
Et Scythicum patrijs à finibus arceat hostem,
Qui populat flammis, qui demetit omnia ferro,
Notitiamq; tui cultumq; abolere laborat.
Regibus iratis inspira pacis amorem,
Frange truces animos ex bellis bella serentes,
Civiles motus intestinosq; furores,
Tota quibus fervet vicinæ natio gentis,
Brachiaq; arrodit sua depascitq; lacertos,
Comprime, distractisq; odium radicitus istud
Erue, quod toties à stirpe repullulat ima,

Vnde recrudescunt simulata pace tumultus,
Pacta sacramentis violantur fœdera ruptis,
Per fora perq; domos crudelia funera fiunt,
Egregijs magnæ viduantur civibus urbes,
Arua trucidatis squallent deserta colonis,
Concurrunt acies & fumant sanguine campi,
Nobileq; & florens ruit alto à culmine regnũ,
Principibus, quorum Respublica credita cura
est,
Flecte voluntates, ne justa monentibus aurem
Indociles claudant, da corda tenacia recti.
Adde senatores sapientes, adde regendis
Consilijs habiles, rectum qui semper & æquum
Iustitiæq; via nusquam deflectere querant,
Nec sua privatim, sed publica commoda curent.
Non animi in causa meliore virilis egentes,
Non jus ad domini doctos aptare palatum,
Non res inducto malè gestas pingere fuco.
Obtrectatorum linguas & falsa loquentum
Injecto cohibe freno, quæ maxima pestis
Tanquam mortifero metuenda novacula ferro
In causam exitij passim grassatur in aulis,
Proscinditq; impune bonos & inania garrit,

Accen-

Accendens odia & spargens lethale venenum.
Conjugibus dona socialis præmia lecti,
Quæ sint templa tua & patrij plantaria cœli.
Et quia longè omnes superat dolor ille dolores,
Qui sobolis causa percellit corda parentum,
Da sua cuiq; sui pariant ut gaudia nati,
Et clades prohibe teneris & quicquid acerbum
Inq; timore tui fac instituantur honestis (est,
Moribus, & vitæ crescant communis in usum.
Da morbo pressis revalescere, surgere lapsis,
Invalidis robur, gravidãq; trahentibus alvum,
Conceptos utero feliciter edere fœtus.
Custodi viduas charisq; parentibus orbos,
Quorum nemo gerit curam, quos nemo tuetur.
Afflatu recrea vitæ gustuq; salutis
Desperabundos & in anxietate jacentes,
Quos intus furiæ cæco tortore flagellant.
Vela per æquoreas nautis moderantibus undas
Da facilem cursum & ventos largire secundos.
Conserva fruges, quas educat optima matrum
Almo terra sinu, victum mortalibus ægris.
Eripe compedibus vinctos & carcere clausos,
Deniq; in hac mundi jam præcipitante senecta,
Dum feritas morum & rerum confusio crescit,

Fatalemq; trahunt nutantia regna ruinam,
Quando catervatim tot circumfusa maniplis
Ad latus omne vides noſtræ diſcrimina vitæ,
Quæ neq; noſſe poteſt ratio, neq; lingua profari
Nos cunctis exolue malis, & mortis in hora
Iudicijq; die, quod mundi extrema ſequetur,
Tunc ubi concilium ad magnum, datus arbiter orbi,
Vivos & quondam vitali lumine functos
Ære cavo à quatuor veniis clangente citabis,
Seq; tuum ſiſtent omnes ſimul ante tribunal,
Exime nos culpæ clementer & exime pœnæ,
Electisq; aſſcribe choris, quâ multa piorum,
Conglomerata latus ſtipant tibi millia dextrum,
Ante orbis quos jacta pater fundamina vidit,
Inq; libro quorum perſcripſit nomina vitæ,
Et quibus hoſpitia in cœlis æterna paravit,
Vt veram in patriam cum duces CHRISTE triumphum,
Ex hoc exilio tecum ſuper aſtra vehamur,
Teq; ibi perpetuis celebremus laudibus. Amen.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST TRINITATIS Luc. c. 16.

CONtemptor ſuperum, ſecurus, avarus & aſper
Helluo luxuria diffluit inter opes.
Induitur byſſo, tyrio reſplendet in oſtro,
Sectaturq; dapes, ingluviemq; gulæ.
Lazarus ante fores epulonis & eſurit hujus
Et micis optat poſſe levare famem.
Obſitus ulceribus pſoræq; doloribus ardens
Ejulat, afflicti qui miſereſcat, abeſt.
Non dedignantur tamen unus & alter egentis
Vlcera lingendo mitificare canes.
Donec ad extremum morboq; fameq; ſolutus
Migrat in Abrami molliter ille ſinum.
Sic (tua quando cruci ſubjecta Eccleſia Jeſu
Conſilio inſto eſt & ſapiente tuo:
Intus ut hærentes ea caſtigatio nævos
Corrigat, ignavas exacuatq; preces.)
Ante fores regum, qui nos odêre, jacemus,
Vixq; aliqui lambunt ulcera noſtra canes.

Huc

Huc ades, ô cujus miserescere propria virtus,
Huc ades, ô cives commiserescere tuos.
Respice squallentes, coopertos mille malorum
Cladibus, ærumnis omnibus expositos.
Accelera, nostrisq; adhibe medicamina plagis,
Inq; Abrahæ transfer nos tua membra sinum.
Flecte tuos hostes, quibus ancillantia parent
Regna, potestates, gloria, divitiæ.
Vt reputent illud pœnarum triste barathrum,
In quo supplicium mando perenne luit.
Horrendæ reputent ut chasma voraginis illud
Arcet ab aspectu quod sine fine tue.
Quodq; implebit eos fremitu, mœrore, metuq;
Luctificaq; fuga perpetuaq; tui.
Effice conversi vita revocentur in ista
Ad mores alios ingeniumq; novum.
Attendantq; animo tua jussa ferentibus æquo
Sustineantq; tuum Christe ministerium.

DOMINICA SECVNDA POST TRINITATIS

Luc. c. 14.

Cœna

COEna parata Dei est, ad quam conviva vocaris,
I pede non lento, si tibi chara salus.
Teq; nec emtus ager, nec bos, nec sponsa retardet,
Omnibus est potior cura animæ una bonis.
Quid̃ video? segnes quæ tardat inertia mentes,
Cũ tot sint homines, cur homo rarus adest?
Et tamen his omnes epulis discrimine nullo,
Se quibus instaurent ac recreentur, egent.
Heu mihi sic Satanæ sequitur commercia mundus,
Seq; voluptatum mancipat illecebris.
Aut magis afficitur studio villæq; boumq;,
Quàm pietate, sacris, religione Dei.
At pater ad cœnam varium sine nomine vulgus
Convocat è trivijs, in numerumq; refert.
Gratia summe tibi genitor, dignare precamur
Infirmos mensæ nos adhibere tuæ.
Eq; tuo nato (qui vitæ panis, & illa est,
Illa salutiferis vitis onusta botris:
E qua justitiæ bibitur lætabile vinum,
Aridit as è qua nostra rigata viget;)

Effice

Effice nos vitæ ſitientes fugere ſuccum,
Electiq; choros ad gregis adde tui.

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS

Lucæ c. 15.

OPtime Paſtorum, pecoris fidiſſime cuſtos
Vnica totius vita ſalusq; gregis.
Qui natos ſtabulo procul à partuq; recentes
Excipis agnellos in gremioq; geris.
Palantemq; inveſtigas revocasq; bidentem,
Inpoſitamq; humeris in tua ſepta refers.
Nos quoq; Chriſte tuis amplectere ſuaviter ulnis
Errantesq; iterum duc in ovile tuum.
Ecce tuæ drachmæ ſumus, impreſſusq; character
In prima nobis conditione tui eſt.
Quæſumus, hunc renoves, maculis ut pura remotis
Fulgeat in nobis rurſus imago tua.
Nec ſecus, ad patrẽ quam prodigus ille reverſus
Filius induitur ſplendidiore toga:

Nos

Nos è peccatis ad te quoq; Christe reversos
Fustitiæ nudos indue veste tuæ.
Detrahe squallentem vitiorum sorde lacernam
Participes veniæ fac meritiq; tui.
Horaq; fatalis cùm venerit ultima metæ
Excipe nos magna patris in æde tui.

DOMINICA QVARTA
POST TRINITATIS
Lucæ c. 6.

LAtor & Interpres divinæ legis Jesu,
Quam nostris animis indidit ipse pater.
Quæ post in Sinai repetita cacumine montis
Editaq; è tabulis te recitante Dei est.
Ad quam credentiũ quasi conformata refingens
Instruis afflatu corda novasq; tuo.
Excute torporem nobis, sensusq; jacentes
In flamma vero legis amore tuæ.
Fac nos multiplices nostras agnoscere sordes,
Deq; his ex animo flere, dolere, queri.
Inq; hoc cordolio te Christe prehendere firma,
Deq; patris venia nil dubitante, fide.

Tunc

Tunc ubi præteritæ recolentes crimina vitæ
Consumet justi judicis ira Dei.
Cujus lex hominē maledictis omnibus omnem
Figit, ab hoc normæ tramite quisquis abest.
Quæ maledicta quidem per te sublata fuerunt,
Rursus & offensi gratia sarta patris.
Quæsumus in nobis, tua quos insignyit icon,
Legem restituas effigiemq; tuam.
Omnis ut affectus noster, studiū omne, voluntas
Tota tuæ legi convenienter eat.
Effice nos humiles mansuetosq;, effice mites,
Vt germana patris simus imago tui.
Vtq; hîc incipiens æternæ præmia vitæ
Integritas illic perficiatur. Amen.

DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS Lucæ c. 5.

QVilibet esto tua contentus sorte, nec extra
Officij metas egrediare tui.
Inq; tua jussum facias statione laborem
Sit tibi mens recti conscia, mixta fide.

Sic

Sic quæcunq; geres feliciter omnia cedent,
Sic fortunatum, quicquid obibis, erit.
Quod tamẽ ut fiat, fieri quoq; Christe necesse est
Nos auditores discipulosq; tuos.
Justitiamq; tui cum primis quærere regni
Hanc omnes aliæ sponte sequentur opes.
Ergò diœcetes, comes, & collega laboris,
Navicula nostra Christe receptus ades.
Remigijs lembum subigat Piscator in altum,
Inq; tuo jaciat nomine rete suum.
Annue tu cœptis, everriculumq; guberna,
Ne labor ad nihilum ne sine fruge cadat.
Absq; labore quidem tua nos benedictio ditat,
Vivere sed proprio quemq; labore jubes.
Omnibus & posita est hæc lex & regula; vultus
In sudore tui vescere pane tuo.
Tum panis proprij quæsitus marte laboris
Est præstabilior plusq; saporis habet.
Non igitur pigeat nos exhaurire laborem
Quem ratio nostri postulat officij.
Ardenterq; Dei simul implorare favorem
Eventumq; animum spe stabilire boni.
Sic aderit nostro præsens Deus ipse labori
Sic ope dives erit nostra sagena Dei.

DOMI-

DOMINICA SEXTA POST TRINITATIS, Matth. c. 5.

DIC ageſis operum vaniſſime præco bonorum
Iuſtitiam jactas qui Phariſæe tuam.
Perpetui tabulis edicti verba duabus
Illa decem digito ſcripta potente Dei:
Iuſtitiænè decus tantum morale requirunt?
Externumq; hominem labe vacare jubent?
Num ſolum prohibent à vero numine verſos
Ad ſtatuas flexo procubuiſſe genu?
Nomine divino verbis petulanter abuti,
Luce ſacra vacuum non agitare diem.
Cultibus & geſtu non obſervare parentes,
Illata telo cæde patrare necem,
Crimen adulterij committere corporis actu,
Ad bona furaces non ſua ferre manus.
Falſiloqua teſtem mendacia dicere lingua,
Alteriusq; avida res inhiare ſiti?
An potius ſimilem ſibi conſomemq; requirunt?
Quantus homo eſt anima, corpore quantus homo eſt. Qualis

Qualis Adam vitio nævoq; remotus ab omni,
Ante Dei pactum quàm violasset, erat.
Scilicet ut nullis mens obscurata tenebris
Fulgeat autoris cognitione sui.
Persuasumq; habeat, divina quòd ista voluntas
Vnica sit, verbo quæ patefacta Dei est.
Et quæ pollicitus Deus est, contraq; minatus,
Quod rata, quod finem sint habitura suum.
Vt secura Deo se credat nostra voluntas,
Hujus in unius lætificata fide.
Hujus in unius sua collocet omnia nutu,
Hujus ab unius pendeat arbitrio.
Hujus ad unius sese convertat amorem,
Hujus in unius quærat honore decus.
Vt cor & affectus acuens in corde facultas
Congruat harmonica ceu ratione Deo.
Vtq; sit effigies homo totus & intus & extra
Archetypum referat quæ sine labe Deum.
Heu quæ disparitas, heu quæ distantia formæ,
Quàm procul hoc omnes absumus achetypo!
Tristibus ut tenebris gravat ignorantia mẽtes,
Deq; Dei dubias agnitione facit!
Turpibus ut flammis ruit instigata voluntas,
Adversusq; Deum justitiamq; Dei!

Cordis

Cordis ut affectus, leve & irritabile vulgus,
Quo rapit à furijs concitus ardor, eunt!
I nunc & speculo te contemplator in isto,
Iusticiam jactas cum Pharisæe tuam.
Ecce tibi sensum germanum legis & usum
Quæ jubet ad normam cuncta quadrare suam.
Horrendamq; Dei denunciat omnibus iram,
Quotquot Adægeniti posteritate sumus.
Noxia quos eadem pœnis innectit ijsdem,
Æterniq; reos arguit interitus.
Fallor, an hæc mentes incendia legis, & iram,
Offensi nequeunt sustinuisse Dei?
Fallor, an hinc Mosi pictorum est ausa potestas
Fingere cornutum Gorgoneumq; caput?
Fallor, an hinc populo præformidabile toti
Effundit facies Mosis aperta jubar?
Vt minimè posset, nisi convelata, videri,
Scilicet hæc facies legis imago Dei est.
Quam retegit Christus, non ut tantummodò nudam,
Intuiti videant se quoq; lege reos.
Agnoscatq; suas introrsus hypocrita mendas
Iustitiamq; extra se sciat esse suam.

Sed

Sed simul ut nobis alieno munere justis
Gratia placati sit manifesta Dei.
Christe revelator faciei Mosis opertæ,
Quo legi factum est persolvente satis:
Fac precor in nobis tua restituatur imago,
Inq; dies niteat majus adepta decus.
Donec ad archetypum nos exemplaria sistas,
Et patris aspectu des propriore frui.

DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATIS

Marci c 8.

QVis metus humanasquæ diffidentia mentes
Occupat, ut dubitent, quomodo corpus alant?
Qui tribuit majus, dare nũ minus ille recuset
Qui vitæ est autor, vitæ alimenta neget?
Ille mel, ille petris exsurgere donat olivum,
Ille dat è terræ pulvere messis opes.
Ille satos varijs depingit floribus agros,
Ille rudem viridi gramine vestit humum.

Nec

Nec manus omnipotens, quæ victum præstet egenis,
Quæ juvet oppressos, apprevitata Dei est.
Nec minor huic hodie de nostra cura salute est
(Id ratio quamvis credere cæca neget.)
Quàm septem libis cum millia quattuor olim
Et paucis idem piscibus exhibuit.
Nate Deo, tua te supplex Ecclesia, magnis
Exul in imperijs, nuda patrocinio:
Diversoriolum, præsepe, cubile, tabernam,
Posit ubi tutò nidificare, rogat.
Reddat ubi verum tibi relligionis honorem,
Vox ubi te profitens inviolata sonet.
Hanc precor ærumnas placidè tolerare juvato,
Nomine quas perfert exagitata tuo.
Fac vel jejunos loca per deserta vagantes
Nos alacri verbum discere corde tuum.
Vt præsente tui protecti numinis aura
Conservatorem te celebremus. Amen.

DOMI-

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATIS Matthæi c. 7.

QVi sapis à veris falsos distingue prophetas,
Sæpe tegit dirum pellis ovina lupum.
Lingua sonat Christũ, quẽ denegat actio vita,
Moribus accedunt dogmata prava malis.
Scilicet hæc falsos doctores tessera prodit,
Arbor ut è fructu sit manifesta suo.
Ecquis enim spinis decerptam colligit uvam,
Vepribus aut ficus de tribulisq; metit.
At putris aut sterilis dejecta securibus arbor
Cæditur ad torres materiamq; foci.
Sic fructus Christi non edens nomine dignes
Cùm præ se Christi nomen inane ferat.
Nutriet inferni proprijs incendia pœnis
Sulphure quâ stagnans ardet & igne lacus.
Quippè nihil prodest, mergi baptismatis unda,
Convivam cœnæ sæpius esse Dei.
Vim recitare precum, sacra verba audire docentes,
Ni quadret ad Canonem vita redacta Dei.

Ergo Dei legi te conformare memento,
Qui gregis es pastor, sis typus ipse gregi.
Tu quoq; Christe tui cœtus miserere, secundum
Dulcia promisso præstita pacta tuo.
Inq; tuam messem fidos extrude ministros,
Qui rectè doceant & tua verba secent.
Pseudoprophetarum sævis conatibus obsta,
Quos mundi rapidos ista senecta facit.
Qui commentitias fraudes & somnia tradunt,
Quæ nihil aut fructus aut pietatis habent.
Nec foris ostendunt renovatæ symbola vitæ
Nec pavidis adhibent mentibus intus opem.
At tu, nostra salus, ô vitæ vitis & arbor,
Pasce pias animas luce rigaq; tua.
Vt divina tui peragamus jussa parentis
Cælestesq; domos ingrediamur, Amen.

DOMINICA NONA POST TRINITATIS

Lucæ c. 16.

QVod ratio tandem vitæ reddenda sit acta
Historia injusti nos monet œconomi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0106
DFG

Et tamen heu quanto ſternunt oppreſſa veterno
Pectora quàm triſti ſunt glaciata gelu?
Quanta voluptatũ quamq; effrenata libido eſt,
Quæ cumulandarum nos ſitis urit opum?
Quò rapit ambitio tituliq; inſana cupido
Vmbraq; ventoſæ ludicra gloriolæ?
Cætera quo ſtudio bona fluxa cadueaq; vitæ
Iſtius expetimus præferimusq; Deo?
Hîc quaſi perpetuò manſuri ſimus, & omnis
Fam nobis poſitus calculus ante Deum.
Chriſte, fac officium præſtemus quisq; fideles
Diſpenſatores æconomiq; tui.
Et circumſpectè, cautè, prudenter agamus
Munia ſuſcepti cuncta miniſterij.
Vt ratio nobis ſubducta putataq; conſtet
Et quadret ad tabulas ſumma rotunda Dei.
Nec ſine deleri noſtris in mentibus illum
Exiguum fidei debilis igniculum.
Quo te ſuppliciter duce prælucente rogamus
Robur ut infirmis ſuppeditare velis.
Effice, ſit nobis hæc cura potiſſima cordi
Te circumplecti te retinere ſinu.
Atq; bonis ita conceſſis, utiq; fruiq;
Exigit ut verbo tradita norma tuo.

Fac nobis illos hic conciliemus amicos,
Qui sint municipes in patris urbe tui.
Qui tua participent bona spiritualia nobis
Associentq; suo nos tua membra gregi.
Fac animæ tristi ne deficiamus in æstu
Conscia cùm noxæ mens tremet ante Deum.
Sed tua sit nobis ecclesia sancta receptrix
Adjungatq; suam nos ad amicitiam
Vt portum tandem nacti cælestis asyli
Tecum apud æternum patrem habitemus,
Amen.

DOMINICA DECIMA POST TRINITATIS Lucæ c. 19.

HVmectas largo lacrymarum flumine vultum
Christe, secuturum mœstus ob excidium.
Quod gentiq; tuæ Solymorumq; imminet urbi
Dum verbum surda rejicit aure tuum.
Exagitat, ridet, lapidat, mactatq; prophetas
Inq; crucem tandem te truculenta rapit.

Exsti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0108
DFG

Exſtirpata olea eſt, genuina exaruit arbor,
Liber an à ſimili clade oleaſter erit?
An non crimen idem pœna plectetur eâdem,
Inq; pari cauſa par via juris erit?
Cernis, ut ebrietas æquales fortis ad hauſtus
Vt ſtuprum numero deſijt eſſe probri.
Vtq; genus quæſtus non illaudabile fœnus
Turpe nec uſuræ ducitur eſſe lucrum.
Vt vitia in noſtros abierunt cætera mores
Vt ſcelerum nullo cautio penè loco eſt.
Acceſſere tui ſatias & nauſea verbi,
Autorisq; Dei non memor impietas.
Et dubitamus adhuc ultricem numinis iram
Propoſitam nobis eſſe ſupraq; caput?
Summe ſacerdotum, tentate per omnia, nobis
Conſcius ut noſtris afficerere malis:
Chriſte tuos miſeros imbecilleſq; gregales
Inſertos maſſæ reſpice quæſo tuæ.
Quos ſimul oppugnant, in quos immanibus ho-
Invadunt odÿs ad latus omne tui. (ſtes
Fac nos ingenitum ſemel edormiſcere ſomnum
Contactuq; aperi lumina noſtra tuo
Vt tua quandoquidem nos gratia viſitat ultrò
Janua ſit noſtri cordis aperta tibi.

Ne resipiscendi spernentes tempus & horam
Postea vindictæ visitet ira tuæ
Da precor in cælis æterna pace fruamur
Barbaraq; à nobis pelle latrocinia.
Nec tua quos habitat cultrix Ecclesia nidos
Permittas latebras hostibus esse tuis.
Da foris idolis Ecclesia pura sit, intus
Flaminis illustra pectora luce tui.
Ne stabulum stygij speluncaq; tetra latronis,
Sed sint justitiæ templa repleta fide.

DOMINICA VNDECIMA POST TRINITATIS Lucæ c. 18.

TE genitor supplex ardentibus invoco votis
Da mihi te verum nosse timere Deum
His etiam donis mihi quæ largitus es uti
Sic ut sint alijs commoda, grata tibi
Cumq; tuo nullum pariant sine numine fructum
Perpetuò verbi me rege luce tui.
Ne tentare meis quicquam conatibus ausim
Quod reprobet tua vox officiumq; meum

Fixa

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0110
DFG

Fixa nec inproprijs mea sit fiducia donis
Munere sed quod sum, sim manseamq; tuo.

DOMINICA DVODECIMA
POST TRINITATIS
Marc. c. 7.

VVlnifico mordet calcanea dente piorum,
Injustos pleno devorat ore Draco.
Ille Draco nostri generis sævissimus hostis,
Intulit heu mundo qui genus omne mali.
Sed caput huic victor Christus pede conterit hosti
Nostraq; divina vulnera sanat ope.
Gratia Christe tibi, sub te jacet ille, jacensq;
Nequicquam sese tollere tentat humo.
Da precor ut jaculans imbellia tela sine ictu
Ex nulla possit parte nocere pijs.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST TRINITATIS Lucæ c. 10.

LEge reos pœnæ servos in morte relictos
Auxilijq́ inopes qui Samarita fovet
Assere nos porrò, lætiq́ in nubibus olim
Fac occurramus te redeunte tibi.
Hæc natura jacet latronum saucia plagis
Exspoliata bonis & cooperta malis,
Nec qui prætereunt Levites atq́ Sacerdos
Afflictam possunt lege juvare suam.
Sed venit à Legis populo Samarita refectus
Noster Alexiacus matre homo patre Deus
Vulneribusq́ merum guttasq́ instillat olivi
Fasciolisq́ ligans mollibus illa fovet.
Nempe quibus culpæ ciet agnitione dolorem
Erigit afflatu territa corda suo.
Inchoat in nobis æternæ gaudia vitæ
Acceptos justo nos facit esse patri.
Jumentoq́ suo vicijs imponit onustos
Nos inserta gerens corpore membra suo.

Eroga[t]

Erogat æra duo legemq; Evangeliumq;
Quod vult in cœtu dogma sonare suo.
Seq; solutorum si quid supereroget inquit
Seminecis curam quem penes esse jubet.
Mille ministerium discrimina mille labores
Quo Deus electum congregat agmen habet
Huic tamen auxilium divinitus affore spondet
Cujus opus proprium est, proprius ipse labor.

DOMINICA DECIMA-QVARTA POST TRINITATIS, Lucæ c. 17.

MVndat & hic Christus verbo bis quinq; leprosos
Glorificat solus sed Samarita Deum.
O genus humanũ malè firmum, debile, cœcum,
Accepta ingratum, post benefacta Deo.
Ereptum semel in culpam proclive relabi
Et cumulare novis facta priora malis.
Qui bis quinq; viros lepræ contage levasti,
Sparge tuo nostrã sanguine Christe lepram.

Peccati maculas in nobis elue primi
Fac meritum gratos nos celebrare tuum.

DOMINICA DECIMA-QVINTA POST TRINITATIS, Matthæi cap. 6.

QVid mentem crucias incerta speq; metuq;?
Iusta quod in præsens causa requirit, age.
Eventumq; Deo committe futura regenti
De quibus humanum scit nihil arbitrium.
Si bona causa tua est, claudetur fine secundo
Quem decet expectes non dubitante Fide.
Sin mala causa tua est, claudetur fine sinistro,
Omnibus opponas te licet ipse modis.
Ergo tuæ noli vitæ cumulare labores
Quæ per se variis est onerata malis.
Et quoties animum quatit anxia cura futuri,
Disce tuas intra te cohibere vias.
Qui semper dubitat, diffidit & angitur, idem
Se negat in solo spem posuisse Deo.

Et quod habet vitæ, cruciatu perdit idipsum,
Ac sapiens ipso vult magis esse Deo.
Qui cum consilio prædestinet omnia certo
Quid labor humani parturit Ingenij?
Qui sapienter agit, rectè præsentia curat,
Commendans placida mente futura Deo.
Nam sua sufficiens afflictio cuiq; diei est,
Invenietq; suum cras sua cura locum.

DOMINICA DECIMA-SEXTA POST TRINITATIS, Lucæ cap. 7.

CVm media sumus in vita rectèq; valemus,
In media semper tunc quoq; morte sumus.
Felices animæ, quas nunc Stola candida vestit
Abluta in rivo sanguinis agne tui
Victricisq; manus gestamen palma decorat
Ante oculos stantes agne thronumq; tuum.
In cujus templo sacris operantur & unam
Incolit in cælis cum quibus ille domum.

Nulla fames ibi, nulla sitis, nulliq; dolores,
Non ibi sol æstu, frigore sævit hyems.
Ipse throni medio qui considet arduus agnus
Non illic aliquod sustinet esse malum
Sed cibat & vivos ad fontes ducit aquarum
Supplicij precio corda redempta sui.
Et lacrymas omnes oculis abstergit eorum
Lætitiaq; suos non peritura beat.

DOMINICA DECIMA-SEPTIMA POST TRINITATIS

Lucæ 14.

CHriste Deus portus, sacra anchora, & aura salutis,
Omnis ab æterno fons & origo boni,
Qui dirâ hydropisi distento ventre tumentem
Verbo sanabas omnipotente tuo,
Sabbata nil violans hominẽ miserando, tuasq;
Auxilio medicas huic adhibendo manus
Et Pharisæorum technas, fastumq; retundens
Dum gaudent primis sedibus atq; locis.

Tu

Tu gravidos vitijs animos, morbisq; tumentes
Perpurga roseo Christe cruore tuo.
Sedibus æthereis tu menti immittere nostræ
Inq; hanc æthereï flamen amoris age,
Inter nos pariter benedictis & benefactis
Exemplo promti simus ut tuq; tuo,
Fastus amorq; sui à nobis procul exsulet omnis,
Nos pietate imple contra & amore tui.
Da colere in terris sacra sabbata, Sabbata ut olim
In cælis tecum sacra colamus, Amen.

SEQVVNTVR ELEGIÆ à M. MARTINO BRASCHIO P. L. p. m. completæ.

DOMINICA DECIMA-OCTAVA POST TRINITATIS, Matth. c. 22.

QVi cupis æthereæ summam cognoscere legis
Hæc mandata juvet te meminisse duo.
Dilige

Dilige mente Deum sincera & pectore toto
Mandato hoc nullum mens pia majus habet
Dilige vicinum, sicut te diligis ipse:
Illa Prophetarum summaq; legis erit.
Non tamen hæc noviſſe satis. nam qui impleat
Mortales inter quem reperire licet? (ista,
Discendus Christus, gemina & cunabula Christi:
Quî sit Davidis filius & Dominus.
Scilicet hic legis tabulam servavit utranq;,
Huic mandatorum nullus omiſſus apex.
Hoc sine spes vitæ nulla est, spes nulla salutis,
Hoc sine lex nobis carnificina mera est.

DOMINICA DECIMANONA POST TRINITATIS

Matth. 9.

VLcera, pleuritis, tabes, arthritis & Asthma,
Calculus, icterus, febris, hydrops, chiragra.
Insuper & quicquid morbi est, quodcunq; malorum
Cædes, seditio, noxia bella, fames. (rum

Si

Si quæris, quo fonte fluant, quæ causa laborum?
Ipsum te, & lapsus ô homo cerne tuos.
Peccato vis tanta subest. huic omnia debes.
Hinc mala tot manant: hinc dolor atq; labor.
Ergo & peccato vacuum jubet esse redemptor
Ægrotum, morbi quàm prius arcet onus.
Non tamen absq; fide Christi amplexante cruorem,
Totius mundi qui lavat omne nefas.
Tum demum extinctos iterũ vivíscere lumbos,
Tum latera atq; manus: tum jubet ire pedes.
Quid verò hinc discis? si quando afflígeris æger,
Aut alia invitum crux peracerba premit,
Hinc exempla petas. lapsus defleto priores,
Nomineq; in Christi sit tibi fixa fides.
Continuò effugient morbi, lectoq; resurges,
Judicet illa tibi ni meliora Deus.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS Matthæi c. 22.

IAm Deus excepit primævâ ab origine mundi
Mortales, sacros apposuitq; cibos.
O dulces epulas, animæ & mirabile nectar,
Quo pastus nullam percipit inde sitim.
Huc ætas Adæ Patriarcharumq; vocata est:
Isacidæ & gentes tandem alienigenæ.
Visa sed hæc multis vilissima cœna, neq; illam
Amplexi, aversas improbi ivere vias.
Non tamen haudquicquã: letho periere necati,
Iamq; Acherontеâ membra cremãtur aquâ.
Hic numerus plane fatuas averterat aures
A verbo & cœtu qui colit ore Deum.
Ast alij adventante iterumq; iterumq; vocati
Turba salutari perfruitura cibo
Scilicet hos novit scriptos Ecclesia cives:
Attamen haud cunctis his dolus omnis abest.
Nam sunt qui simulant pietatem atq; omnia vera:
Cum commenta intus sub cute falsa gerant.

Hos

Hos sancto avulsos cœtu excluſosq́ piorum
Æterna in Stygio carcere pœna manet.
Vtpote viſibilis conceſſa vocatio multis:
Ex quibus haud multos gratia dia legit
Tu nos electos inter fac eſſe Iehova,
Sanguine quos redimis vivificasq́ tuo.

DOMINICA XXI.
POST TRINITATIS
Joan. c. 4.

PRoxima centurio ſequitur veſtigia Chriſti
Et miſeras querulo fundit ab ore preces
Liberet ut natum certi diſcrimine lethi
Aridaq́ urenti viſcera febre levet.
At Chriſtus ſimulans duræ commenta repulſæ
Reſponſo triſtem miſcet amariciem.
Mox idem verſus dat mites ore loquelas:
Ito, ait, & natum vivere ſcito tuum
Credidit aſſenſu, quamvis fuit Ethnicus, arcto:
Nec Dominũ ulterius terga rogando premit.
Ergo, horâ febris cum diſceſſiſſet eadem,
Effectus Chriſti verba habuere ſuos.

Quisquis

Quisquis es, audiri qui vis tua verba precanti,
Non fluxam jungas ad tua vota fidem.

DOMINICA XXII.
POST TRINITATIS
Matth. c. 18.

O ingens nomen, quod debes improbe serve!
Heu humeros onerat sarcina quanta tuos?
Tu tamen humanâ pingis sub imagine gentem
Omnes nos equidem nomina tanta gravant,
Nomina cottidie multis contracta piaclis,
Nam quæ non lapsus parturit hora suos?
Verùm ô felices nos, quos oratio supplex
Liberat, & tanto pondera colla levat.
Dummodo non servo similes reddamur iniquo,
Nulla cui duri gratia cordis erat.
Quin tu istic ingrate jace sub carcere fœdo:
Hoc tua durities: hoc meruere rigor.
At nobis imo maneat sub pectore fixa,
Semper & attentâ regula in aure sonet:

Vt

Vt pater in cœlis, quo non clementior alter
Culpis ignoscit dat veniamq; tuis
Sic erit offensis te par ignoscere fratris:
Ni facias, similis te quoq; pœna manet.

DOMINICA XXIII.
POST TRINITATIS
Matth. c. 22.

QVid Phariſæe furis Chriſtum perplexa rogando?
Fraudibus eſt longè doctior ille tuis.
Quid Phariſæe fugis Romani vincula regis?
Non potes acceptum deſeruiſſe jugum.
Aſpice cæſareos inſcripta nomiſmata vultus
Hinc tua diſce prius noſcere ſervitia.
Hic tibi res tutas & vitam & corpora præſtat,
Ergo magiſtratus munia juſta gerit.
Accipiat Deus antè ſuum, quæ poſcit, honorem:
Accipiat cenſus rex quoq; deinde ſuos.
Hoc tibi præceptum capies, quicunq; rebellis
Abſcindis domino juſta tributa tuo.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS

Matth. c. 9.

SOla velut Christi contactæ fimbria vestis
Sanguinei vestis sistere cogit iter.
Qui per bis denos fœmellam exhauserat annos,
Quem nemo humanâ tollere nôrat ope:
Non solùm in morbis, verùm in quocunq; peri-
Sic præsto nobis sponte redemptor erit. (clo
Cum desperatæ spes non est ulla salutis,
Divinam subitò porriget ipse manum.
Ac veluti natam Iairi morte peremptam
Depulsâ rursus vivere morte jubet
Sic quoq; credentes lapsi post sæcula mundi
Ex gelidâ vivos nos revocabit humo.
At sicut præclara fides in utroq; coruscat,
Vix quanta in quōvis invenienda fides.
Sic animos, fas est, firmet fiducia nostros,
Hoc opus, hic labor est: sic medicina juvat.
Qui sanas animam, corpus qui debile Jesu,
Fac medicus morbo sis in utroq; meus.

DOMI-

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS Matth. c. 24.

TEmpora nunc ea sunt, quorum certißimus olim
Christus erat vates, nunc ea tempora sunt.
Aspice divini discerpta oracula verbi
Tot sectis, flammæ quot super astra nitent.
Vix ut selecti poßint exire ruinam
Illos in pravum quin agat error iter.
Aspice recluso dimissum carcere Martem
Vt moveat lituos, ut ferus arma crepet.
Bello Oriens flagrat, flagrant Aquilonia regna
Vndiq; nos circum buccina mugit atrox.
Nunc quoq; seditio caput effera tollit ubiq;
Vrbes seditio magnaq; regna quatit,
Annonæ crescit precium & penuria rerum:
Paupertas crescit, crescit ubiq; fames.
Vertitur ex imo tellus excussa barathro
Dispereunt homines, dispereuntq; feræ.
Sævit haud unquam sic tempestatibus ater
Nereus, nautarum pallida pernicies.

Cerni-

Cernimus obduci toties ferrugine lunam
Et solem mundo sæpe negare diem.
Hostibus oppressa est Ecclesia, cerne Tyrannos,
Quiq; onerant corpus, quiq; onerant animam.
Scilicet hinc diversa ruit quamplurima turba,
Salvificamq; negat lucis amore fidem.
Nulla fides superest, livor dominatur ubiq;,
Christiadum in tota gente refrixit amor.
Famq; homo peccati, fax perditionis, & autor
Exitij, Ausoniâ qui sedet in cathedra.
Proditus est omni mundo, proscindere verum
Blasphemo dum non desinit ore Deum.
O miseras igitur mentes, ô pectora cœca,
Quæ non cũ signis tot mala damna movent.
Ponite securum tandem de corde veternum,
Verus & exstimulet viscera vestra timor.
Jamjam supremo veniens de vertice judex
Præmia pro meritis cuilibet apta dabit.

Sequuntur PRECATIONES HENRICI HVSANI IC. CL. IN FESTA SANCTORVM.

DIE BEATI STEPHANI PROTOMARTYRIS, Matth. cap. 23.

IVdicijs mundi ne succumbamus iniquis
Da Stephani nobis robur & arma Deus.
Qui tibi supplicijs constanter adhæret in ipsis
Obsignatq; tuum sanguine dogma suo.
Atriaq; intuitus cœli recluſa patentis
Stare patris dextrã te prope Christe videt.

Seq;

Seq̃ tuæ moriens fidei commendat, & inquit,
Hanc animã placida suscipe Christe manu.
O etiam faciem nobis ostende serenam,
Januaq̃ in superas fac sit aperta domos.
Migrantesq̃ animas ex isto corpore nostras
Infer in æterni regna beata patris.

DIE JOANNIS APOSTOLI, Joan. cap. 21.

BElla tibi faciunt, faciunt convicia Turcæ,
Ne sine notitiam Christe perire tui.
Sed tibi relliquias inter nos collige sanctas,
A quibus omnipotens concelebrére Deus.
Quæq̃ inconcussæ stent mundum adversus & orcum
Gloriaq̃ augescat nominis unde tui.
Nostra fac ambitio studio desudet in uno,
Vt peragat proprio propria quisq̃ loco.
Municipesq̃ tui cœtu maneamus in illo,
Quem fers inq̃ oculis in gremioq̃ tuo.

DIE

DIE INNOCENTVM, Matthæi cap. 2.

VOS quoq́; (ceu gemmas & primos ſtirpis ocellos
Enecat urenti ſæva pruina gelu;)
Sic furor innocuos infantes impius hauſit
Dum cautum regno rex cupit eſſe ſuo.
Ignotumq́; ſibi puerum regemq́; futurum
De medio ſeſe tollere poſſe putat.
Quos gemitus quas mœſta Rachel audita querelas
Prolis in occaſu eſt ingeminare ſuæ?
Tunc ubi reſperſas lactentum ſanguine cunas
Maternosq́; ſinus uberaq́; ipſa videt.
Talis adhuc hodie taliſq́; futura deinceps
Eſt ſpecies cœtus optime Chriſte tui.
Tu tamen has inter cædes regumq́; furores
Relliquias ſervas agminis uſq; tui.
Herodemq́; Satellitiumq́; Herodis, & ipſum
Æterno Satanam deſtruis excidio.
Vtq; ſua teneros placuit tibi martyras iſtos
Adventum in carnem prodere morte tuum

Purificoq; tui rivo mersare cruoris
Pelliculasq; suas supparaq; agne Dei
Quos transportatos in amœna rosaria cœli
Circum vestisti floris honore novi
Sic civesq; tuos tibiq; ipsa in morte fideles
Ex hoc exilio nos super astra vehe.

DIE CONVERSIONIS PAVLI.

Desine divini consulta movere Senatus
Desine censuræ subdere velle tuæ.
Delectumq; Dei meritis asscribere nostris
Qui quos vult reprobat, gratuitovè probat.
Et mala nulla sinit fieri, nisi providus idem
Noverit in majus facta referre bonum.
Dic quid promeritus? qua præditus indole Saulus,
Versus at in Paulum diligeretur, erat?
An non à teneris hostiliter oderat annis (erat?
Et Christum & Christi de grege quisquis
Te tamen in Christum furiata mente ruentem
Destinat ille suo Saule ministerio.

Et ti-

Et tibi cœlestes aspirat desuper auras,
Verbaq; in os ponit, rhetoricamq; tubam.
Notitiam cujus mundum tua vulgat in omnem
Dextera scribendo, lingua loquendo potens
Et miseras gentes damnatis eruit umbris
Errorum, captas fraude, rudesq; Dei.
Pro quo mille subis terraq; mariq; labores
Pro quo perpeteris verbera, vincla, necem.
Dum verum celebras, mendacia vana refellis,
Eloquioq; tonans in scelus inveheris.
Tempore, quo rerum tractabat Cæsar habenas,
Vas iræ, Satanæ tetra cloaca Nero.
Vtq; solet, totus se conformaverat orbis
Principis ad mores nequitiamq; sui.
Gratia Christe tibi, per te doctrina recluſit,
Prodita Paulina voce, salutis iter,
Ante sub humanis quæ traditionibus atra
Errorum jacuit nocte sepulta diu.
Ne precor usuram ne nobis eripe lucis
Qua Paulus tenebras gentibus eripuit.
Sed tales serie legatos mitte perenni
Cura quibus curæ sit gregis una tui.
Qualis hic Interpres, orator, doctor & heros
Pertulit ad gentes qui tua jussa fuit.

Cujusdiscipulos imitatores q3 fideles
Quemq3 suo nostrum Christe fac esse loco.
Vt vetere exuto rursum instauremur Adamo,
Numinis afflatu nos renovante tui.
Flagremusq3 tui desiderioq3 sitiq3,
Sitq3 tuo nobis nomine dulce mori.

DIE PVRIFICATIONIS MARIAE, ex Cantico Simeonis, Lucæ cap. 2.

QValis olor senio confectus morte propinqua
Carmen in exequias concinit ipse suas.
Talis in amplexu Christi sua brachia nectens
Ille senex Simeon jam moriturus ait.
Nunc valedicendi mundo mihi facta potestas,
Nunc capienda quies, nunc mihi dulce mori.
Quippe fides ut pacta meis ita præstita votis
Teq3 datum est oculis Christe videre meis
Omnibus ô signum populis illustre salutis
Omnibus ad vitæ præmia lampas iter.

Gloria

Gloria, qua soboles stirpis se jactet Ebrææ
Gloria, qua jactet se genus Japeti.
Christe Dei fili, Deus ipse, coæve parenti
Nate recens hominũ nomine verus homo,
Da nobis etiam positis in limine mortis
Posse piè sancto cum Simeone mori.

DIE MATTHIÆ
APOSTOLI Matthæi
cap. 11.

CÆlestis sordet verbi sapientia mundo,
Quicquid & in mundo regnat & alta sapit.
Ergò quod vile est, & quod non magna professum,
Huic retegit verbi dogmata sancta Deus.
Idq; facit nullo nisi solo interprete Christo:
Hic est os, hic est lingua diserta patris.
Nemo patrẽ novit, natus nisi monstret eundem:
Ille igitur miti nos bonus ore vocat.
Peccati moles animæ quibus incubat ægræ,
Quicunq; aut alijs exagitare malis.

Huc ades, hîc medici dabitur lætabile munus,
In melius cujus restituaris ope.
Hîc tu dulcidicæ recreabere nectare linguæ,
Lingua mea est vitæ succus & ambrosia.
Nostrum ferto jugum, neq; me contemne magistrum,
In nostro bonitas pectore mitis adest.
O os mellitum Christi, ô dulcissima verba!
Ingratum & durum quē nihil ista movent.
At nos ista movent, nam nos cognoscimus ægros:
In gremium tu nos excipe Christe tuum.

DIE ANNVNTIATIONIS MARIÆ, Lucæ cap. 1.

HÆc est illa dies, rerum qua cœpit origo,
Inq; homine afflante est gleba animata
Qua decessit homo divini fœdere pacti (Deo.
Debita qua noxæ pœna remissa reo,
Qua jugulatus Abel à percussore Caino,
Isacus ad mortem est à patre ductus Abra.

Pascha

Paſcha celebratum caſo ſolenniter agno
Factus homo Deus eſt, virgoq; pura parens.
De cruce pro nobis in noſtra carne pependit
Vnicus æterni filius ille patris.
Deniq; perſonam qua judicis induet idem
Quattuor à ventis ære ſonante cavo.
Luſtrabitq; pios cælitq; accerſet in aulam
Vindictaq; malos ſupplicijs q; premet.
Tunc ubi tempeſtas mundo feret ultima finem
Omnia qua flammis obvius ignis edet.
Fallor, an iſta ſcholæ ſapientia prima ſuperna,
Hac ut geſta die commeditemur, erit?
Chriſte rudimentum tantarum hic effice rerum
Ponere tyrones diſcipulosq; ſuos.
Donec gymnaſium nobis cæleſte pateſcat,
Et lux uberior pectora noſtra riget.
Tu matrix arbor, tu vitis onuſta racemis
Nos pulliq; ſumus malleoliq; tui,
Nulla quibus vita eſt, ex te niſi fonte ſit hauſta,
Vnitosq; tibi glutinet arcta fides.
Tu patris ad dexiram rex majeſtate coæqua
Imperiumq; tenes, in ſolioq; ſedes.
Naturaq; ſedes agnatus noſter in illa
Quæ ſine labe tibi conſociata Deo eſt.

Cùm te casta parens supera concepit ab aura
Et massa ex Abrahæ Semine creta tua est.
Ergò tua de carne caro, deq; ossibus ossa
Quando Christe sumus congeneresq; tibi,
Nemo suam verò carnem fastidit & odit,
Sed vehementer amat solliciteq; fovet,
Transfer in æternæ tecum rogo gaudia vitæ
Nos tua membra suum concomitata caput.

DIE PHILIPPI ET JACOBI, Joan. cap. 14.

QVæsivere viam multi portamq; salutis
Quos tamen in fallax error adegit iter,
Non mens mortalis, non hanc sapientia mundi,
Cognovit: Christi solius illud opus.
Ille via est solus, qui ducit ad atria cœli,
Absq; illo nulli janua celsa patet.
In domibus nobis sedes parat ille paternis,
Æternos liceat quas habitare dies.
Interpres verè est idem Oratorq; parentis,
Namq; voluntatem nuntiat ille patris,

Non

Non venit ad patrem, niſi qui duce vadit Jeſu,
Hic dux & Scala atq; unica porta poli eſt
Idem autor vitæ potiusq; ipſiſſima vita eſt,
Vita creaturis omnibus unde fluit.
Quin vitam nobis peperit poſt fata perennem,
Corporaq; ex gelida vivificabit humo.
Vos ſalvatores falſi quicunq; valete.
Salvator nobis unus Jeſus erit.
Hoc duce ſcandemus cælum: doctore docemur:
Nunquam cernemus viviſicante necem.

ELEGIA IN NATALEM Iohannis Baptiſtæ, ad illuſtriſſimum principem D. JOHANNEM ALBERTVM Ducem Megapolitanum.

SOL propè retrogradi peragrato ſidere Cancri,
Ducit ad Herculei terga Leonis equos.
Inq; ſuum menſem revolutò naſcitur anno
Iſta dies ortu nobilitata tuo:

Summe Prophetarũ, quo nullum fœmina majus
Post homines natos edidit ulla decus.
Summe Prophetarum, præsentẽ matris in alvo
Indicio saltus testificate Deum.
Summe Prophetarum, qui missus es alter Helias
Ceu tubicen faciem principis ante tui.
Vt velut instantis monitrix aurora diei
Cœlestes referat prævia manè fores:
Justiciæ caneres sic illucescere Solem,
Impia quo cepit nox orienie fugam.
Ecce tibi pluvijs & tempestate vacantem
Lucifer Eoo portat ab axe diem.
Ipse rigans totum radijs illustribus orbem,
Purior it festi sol in honore tui.
Sacraq; multorum sociatis vocibus ædes
Personat, & plebem vix capit una suam.
Me quoq; res hodie gestas percurrere versu
Et curis animos exonerare juvat,
Fronde coronatas dum succino carmen ad aras,
Huc ades ô veterum flos generose ducum,
Qui famam meritis, fortunam grandibus ausis,
Ingenij superas nobilitate genus.
Et quia supplicibus dum te delassu libellis,
Nullo non quorum fertilis aula die est,

Quas-

Quaslibet aut alias dum causas oro prophanas,
Perfacilem præbes te placidumq; mihi:
Da quoq; nunc aures attentas sacra canenti,
Sic numeri vena liberiore fluent.
Jam gravidi molem gestanti ventris Elisæ,
In cursu decimi tempora mensis erant.
Cum puer enixæ fœta prodiret ab alvo,
Et tenero primos ederet ore sonos.
Cujus in optatas omnis vicinia cunas,
Ominibus lætis vota precesq; dabat.
Et senij fulcrum sterili gratata parenti,
Hoc insigne Dei laude vehebat opus.
Quo voluisset anum, naturæ jure novato,
Ferre suo pignus conjugiale viro.
Famq; dies octo vitales hauserat auras
Editus ex utero partus Elisa tuo.
Cum simul intrarunt cognatæ tecta propinqui,
Ex illo geniti sanguine quotquot erant,
Et puerum veteris signatum ex fœdere pacti,
A patre jusserunt nomen habere suo.
Sed licet historiam Gabrielis ab æthere missi,
Nescireq; suo tunc data jussa viro.
Cum solenne sacras faceret suffimen ad aras,
Plebe foris castas concipiente preces.

Vocis & occluso sermonem amitteret usu,
Dum vocat indubium, verba fidemq; Dei.
Inspirante tamen divina desuper aura
Mater, Joannes mando vocetur, ait.
Talibus effatam taciti mirantur amici,
Insolitaq; putant rem novitatis agi.
Nullus in hoc tandē Joannes stemmate dicunt
Aut fuit aut nunc est, hiccine solus erit?
Finiat hanc igitur patris sententia litem,
Filiolo nomen quod pater esse jubes?
Ille rogat tabulas, suffragatusq; maritæ
Scribit, Joannem nomen habere volo.
Dumq; animi sensus interprete prodere linguæ
Numineq; exoptat posse favente loqui.
Quis putet! adstrictæ solvuntur vincula linguæ,
Nec mora scribentis vox dat aperta sonum.
Tum verò spacio longo sermonis omissum
Ceu postliminij lege retentat opus.
Inq; Dei laudes ediserit ore diserto
Pectoris in tacito præmeditata sinu.
Rursus & assuetis pronunciat omnia verbis,
Quæ varijs signis antè locutus erat.
Tota relaxatæ spectans miracula linguæ
Obstupuit sancto plena pavore domus.

Proti-

Protinus hæc etiam vicinas pervolat urbes
Non prius auditæ nuncia fama rei.
Eventúque novo suspensos detinet omnes,
Qui pius est temerè sic cecidisse negat.
Zacharias verò cœlesti numine plenus,
In pueri cunas vaticinatus, ait.
Nunc celebres illi super æthera tollite plausus,
Cujus in hac sedes est regione Deo.
Qui generis nostri sortem miseratus acerbam,
Depulit à populo tristia fata suo.
Et cornu veteri Davidis in æde locavit,
Vnde salutiferam copia fundat opem.
Sæpe velut vatum præsaga per ora locutus
Hæc promissa, fidem nunc habitura, dedit:
Vt reparet nobis jus libertatis ademptæ,
Vindice gesturum se nova bella manu.
Fœderis & memorem nobiscum antiquitus icti
Præcipuè tecum noster Abrame pater,
Pressurum pedibus diros victoribus hostes
Non veritos longo nos onerare jugo.
Vt posthac operam, servili compede dempto,
Natio det soli nostra dicata Deo.
Et pietatis amans & nulli dedita culpæ
Exigat innocuos & sine labe dies.

At tu

At tu chare Dei puer appellabere vates,
Plus quoq; quàm vates cur habearis erit.
Nam tua præcedes vestigia ponè legentem,
Nuncius ante Deum, lucifer ante diem.
Et populo variè sine curatore vaganti
Veridicus vivæ preco salutis eris.
Quam feret in terras è Majestate superna
Filius æterni lux & imago patris.
Mortis ut à regno tenebris umbráque sepultos
Asserat, in regnum restituatq; suum.
Nescius & veri quos error in avia duxit,
Edoceat rectam pacis inire viam.
Sic ait, & teneris delibat fixa labellis
Oscula per multas ingeminatq; vices
Ardentiq; ciet patrios è pectore motus
Aspectu sobolis non satiatus amor.
At puer implebat carorum vota parentum,
Inq; dies aucto corpore major erat.
Cumq; notans prima teneras lanugine malas,
Duceret ætatis ver juvenile suæ.
Secretum longè lateq; vacantis eremi
In nemus, è patria sede profectus, abit.
Hîc ubi Iordanis Libani radicibus exit,
Et scatebras uno devehit amne duas.

Quaq;

Quaq; redux Pharijs stirps Israëlis ab oris
In patriam Josuæ transijt auspicijs.
Desuper in faciem montis pendentibus undis
Et pedibus siccum plebe terente vadum.
Nec procul acclivi subnixa Bethabara ripa
Trajectu stabat nota frequente domus.
Hîc ævum, Solymisq; sacris temploq; relicto
Ille Dei jussis convenienter agit.
Tectus ab exuvijs detonsa veste Cameli
Pellicea zona cinctus utrumq; latus,
Solaturq; sitim Iordane, famemq; locustis,
Pastus ab arboreis mel nemorense favis.
Accola quod Libani, rorem sudantibus auris,
Excutit è foliis in calathosq; legit.
Donec Iudæam vocat ad nova balnea plebem,
Amnis & immersos simplice lustrat aqua.
Et docet in medio patriæ consistere gentis
Matre hominem natum, sed genitore Deum.
Qui sibi confisos exoptantesq; renasci
Abluat infuso numinis igne sui.
In sua purgatam qui convehat horrea messem,
Et paleas flamma non moriente cremet.
Iam tua Christe tibi grates Ecclesia dicit,
Quas tamen infanti dicere voce potest.

Salva

Salva quod à prima permanſit origine mundi,
Perpetuas Sathanæ te reprimente minas.
Perq; tuos verbo ſemper plantata miniſtros
Plurima produxit germina grata tibi.
Sicut & hic vates redivivæ præco ſalutis
Egregij ſubijt grande laboris onus.
Indice cum digito te demonſtravit euntem,
Quem pavidos firma juſſit adire fide.
Eſſe docens agnum, qui tollas crimina mundi,
Qui delicta tuo noſtra cruore luas.
Cumq; tuũ ſacra ſparſum caput imbuit unda,
Cœlitus hanc vocem patre ſonante Deo.
Hic eſt ille meus dilectus filius, in quo
Summa voluptatis deliciq; mei eſt,
Nec minus in ſpecie ſe demittente columbæ
Qui patris atq; tuo ſpirat ab ore, Deo.
Cumq; ſacerdotes Phariſæorumq; cohortem,
Vt tibi venturo ſit via plana, monet.
Cum montes premit, & valles educit in altum
Aſperaq; allævat, curvaq; recta facit.
Et proferre bona dignos jubet arbore fructus,
Vindictaq; manus antevenire tuæ.
Militibusq; ſuo, ſine vi, ſine crimine falſi,
Vivere contentis præcipit emerito.

Secu-

Securusq; necis, cui præbet adultera causam
Imperio in fatuum facta superba virum:
Arguit illicitos incesti regis amores,
Fraternumq; vetat conscelerare torum.
Omnia Thesbitæ similis, vocemq; severam,
Intrepidumq; animum, muniaque officij,
Flammifero liquidum subvectus in aëra curru
Quadrijugis cœlum qui penetravit equis.
At ut Zachariæ, parva cum gente piorum,
Texisti patria tunc bonitate domum,
Cum ferus Herodes, truculentus, more Tyranni,
Pollueret justo sanguine sæpe manus:
Conjugibusq; infesta pijs pateretur inausum
Militis effreni dira libido nihil:
Templáque perstreperent discordibus omnia
Cœtibus est gravior qua lue nulla tuis: (rixis
Sic quoq; nos inter tot acerba pericula serves,
Tempora quos illis flebiliora premunt.
Ecce foris pugnis attrita pavoribus intus
In dubio vitæ Teutonis ora jacet.
Ecce ruunt in nos Turcæ violenter ab ortu,
Agmen ab occasu ductor Iberus agit.
Ex aquilone volat jaculis sævaq; securi
Lunatoq; potens Barbarus ense latro.

Relli-

Relligio facta est Eridos sanctissima pomum,
Secta tot in sectas, tot laniata modis.
In populo luxus morumque licentia crevit,
Asperitasq; simul crevit in imperijs.
Interijt virtus Germanæ mascula gentis,
Mersa gynæceis ebria sympostjs.
Et prius ad vivum detonso vellere nudas
Nunc deglubit oves triste lupus stabulis.
Iura, forum, legesq; negant sibi nata potentes,
A majore minor pressus ubiq; jacet.
Seria justitiæ custodia curaq; nulla est,
Quodq; sibi libeat quisq; licere putat.
Tum magnos usura duces exhaurit & urbes,
Privatasq; intrant publica damna domos.
Anxietas animos quatit & formido futuri,
Nusquam tuta fides, frigidus omnis amor.
Passim dira fames extremaq; regnat egestas,
Accediq; famem concomitata lues.
Flet sobolem genitrix, defunctam pignora matrem,
Virq; suæ funus conjugis, illa viri.
Quid querar? ecce vides mare circumstare malorum
Totq; intra nostram probra latere cutem.

Ergo

Ergo pater (sic te placatum sanguine gnati
Alloquor) offensæ vim moderare tuæ.
Per te, per genitum tibi mentis imagine Chri-
Quo nostras audis cõciliante preces. (stum,
Parce nec à nobis, quas commeruisse fatemur,
Fustitiæ pœnas exigat ordo tuæ.
Sed rigidum summi juris laxare tenorem,
Et factos nati membra memento tui.
Sic tibi sic supplex orantia brachia tendat,
O quemcunq; tuæ spes bonitatis alit.
Tu pacis princeps, tu vitæ diceris autor,
Et tibi jure datum nomen utrumq; probas.
Supprime nunc igitur glomeratas undiq; lites,
Quas levis ambitio per tua templa serit.
Armaq; de regum crudelibus excute dextris,
Nec sine per tristes illa vigere moras.
Pelle famem pestisq; luem, duo fulmina belli,
In nos vindictæ quod movet ira tuæ.
Vt tibi servati solennia vota feramus,
Grata resolventes laudibus ora tuis.

DIE

DIE PETRI ET PAVLI.

ROma quid insanis dudum? quid Papa ferocis?
Divini cœtus tu quasi petra ſies.
Primitus in quo ſit fundata Eccleſia Chriſti,
Nomine quod Petri jurìs habere putas.
Sed tibi falſa levem cepit perſuaſio mentem:
Hunc titulum Chriſtus ſolus habere cupit.
Is caput & fons eſt, fundamentumq; ſalutis:
Diverſum hoc præter ponere nemo poteſt.
Felix, quæ tanta eſt Eccleſia nixa columnâ:
Hanc portæ inferni non abolere valent.

DIE VISITATIONIS MARIAE.

CANTICVM MARIÆ, Lucæ cap. 1.

Me

MEns animi exurgas, Dominum fas tollere cœlo,
Nascitur en laudum plurima materies.
Laudemus Dominum, Dominum tollamus Olympo:
Ille mihi immeritæ gaudia magna parit.
Quamvis vilis eram, quamvis despecta humi-
Se tamen in viles dejicit ille sinus. [(lisq,
Hinc me laudabit confirmabitq, beatam
Vltimus in sera posteritate nepos.
Ecquid enim majus mortali præstitit ulli?
Maximus est (reliqui cedite) noster honor.
Atqui ille hoc fecit, cujus suprema potestas,
Et nomen sanctum, sanctaq, justitia.
Illius durat bonitas sine fine perennis,
Si vera Dominum cum pietate times.
Idem, quando libet, detraxit sede potentes,
Et quibus immensum corda superba tument
Abjectoq, humiles è pulvere tollit in altum,
Extulit ex humili me velut ille loco.
Idem opibus miseri gremiũ superimplet egeni,
Ditibus at vacuas linquit agitq, domos.
Facta fide patribus servat promissa tenaci
Israëlitis, nec perit ullus apex.

DIE

DIE JACOBI, Matth. c. 20.

QVid sumus ô miseri? quid nos jactamus homulli?
Nonne luti soboles? umbra? necis spolium?
Non æquè miserũ est inter viventia quicquam,
Quin fuerit sortis deterioris homo.
Et tamen erigimus cristas, & regna sitimus,
Crebraq; de primo rixa coorta loco est.
Ecce hoc in binis est Christi cernere mystais;
Occupat imò omnes illa superba lues.
At tu Christe negas mundi te regna tenere,
Et cœli regnum volvere mente jubes.
Tu mandas cœcos animi deponere fastus;
Idq; ais, inprimis pectora sacra decet.
Nam reges regnare juvat, servireq; vestrum
Hac vos adjunxi conditione mihi. (est
Optime Salvator longè hanc avertito pestem,
Hanc penitus nobis excute visceribus.

DIE BARTHOLOMÆI APOSTOLI, Lucæ cap. 22.

NON solùm in mundo ventosa superbia regnat,
Illa etiam invadens templa scholasq́; quatit.
Ecce Sacerdotes: minimus vult nemo videri:
Quilibet in reliquis maximus esse cupit.
Quid Christus? non sic, ait, ô mea turba, ministri,
Reges regna, jugum vos subijsse decet.
Quod si quis reliquis major contendat haberi,
Fratribus exemplo serviat ille meo.
Sic eritis magni: sic cœli in sede beati
Regna illic vobis non peritura dabo.

DIE NECATI IOANNIS BAPTISTAE.

Nolo

PRECES DIERVM

Noli mirari crudelia fata Ioannis,
Hanc illi mortem libera lingua dedit.
Libera, sed veri qualem decet esse ministri,
Gloria cui Curæ est non sua sed superûm.
Non, ait, uxorem fratris tibi ducere fas est:
Lex hoc naturæ, rex animose, vetat.
Hinc illæ lachrymæ, flagrat hinc Herodias atrox:
Hinc fit spectaclum turpe cruore caput.
Baptistæ potiùs factis imitare rigorem;
Quem nullus frangit, rege minante, timor.
Nec tibi terrori sit frendens ense tyrannus:
Nec metus obstantis mortis & exilij,
Martyribus locus est in cœlo proprius; illum
Morte redemptorem turba professa tenet.
Illic præfulget radianti luce Ioannes,
Atq; eadem passos ad sua templa citat.

DIE MATTHÆI APOSTOLI, Matthæi cap. 9.

Dum

DVm nobis sanus currit per viscera sanguis,
Conspicias medici præterijsse domum,
Nec quisquam nostrum cognoscit, dum benè sanus
Ipsum sit quantum rite valere bonum.
At postquam invasit morbi nos pallida tabes,
Affixa & lecto brachia lassa jacent.
Tum sanescendi magno inflammamur amore,
Et nemo medici non petit æger opem.
Ægrotis opus est medico, nos morte jacemus
In media, nostris Christe medere malis.

DIE MICHAELIS ARCHANGELI.

IGnee fons lucis, qui lucis plena creasti
Corpora cælorum spirituumq; choros.
Custodes hominum quos præcipis esse piorum
Et circa cœtus pervigilare tuos.
Hos miseros nidos hæc prædia nostra casasq;
Ad latus omne tuo cinge satellitio.
Perpetuumq; tui procul arce nominis hostem,
Membra cui proprium discruciare tua est.

Vt tibi sic mortem maneamus ad usq; fideles
Et cives superamus in urbe tui.

DIE SIMONIS ET IVDÆ Joann. cap. 15.

MVndi odium expectet, Christus quemcunq; recepit
Christiadum in cœtum: nam sua mundus amat.
Christum, Christiades q; odit, blasphemat & angit,
Ista ferè in mundo regula firma manet.
In primis sacris sunt dura ferenda ministris
Præ reliquis illos turba profana petit.
At quid solati? nisi Christi exempla magistri
Hic eadem expertus damna necemq; tulit.
Tum, magis amentes quo mūdus flagrat in iras
Sese Christiades hoc magis inter ament.
Christe Ecclesiolam ardenti complexe favore
Nostra fac ut similis pectora jungat amor.

DIE

DIE OMNIVM SANCTORVM, Matth. cap. 25.

SI quis erit cœlo qui se profitetur egenum
Et mala quẽ torquet verus ob acta dolor.
Si quis erit mitis, placabilis atq; benignus,
Si quem justitiæ verus adurit amor.
Si quis erit noxis aliorum ignoscere pronus:
Peccato si quis pectora pura gerit:
Si quis pacificus, si pacis amator & auctor,
Justitiæ si quis gratiâ acerba ferat,
Si quis erit Christi qui perfert nomine probra:
Quis neget? his cunctis ille beatus erit.
Quàm dextrè enumeras ex ordine Christe beatos:
Quæsumus hos inter nomina nostra loca.

DIE ANDREÆ, Matth. c. 4.

VNũ præcellit mundi bona cætera verbum,
Quod patris è gremio filius ipse tulit.

Aurumq; argentumq; huic æquiparabile nō est,
Omnis quo mundi terra fretumq; scatet.
Thesaurus tectus tamen occultusq; maneret
Ille, nisi in medium proferat ordo sacer
Divini pandens per templa oracula verbi:
Hi dant in lucem, quæ latuere, viri.
Quos velut è primo mundi Deus excitat ortu:
Discipulosq; vocas tu quoq; Christe tuos.
Sic & nunc sacros largire subinde magistros:
Ne pereant verbi semina sparsa tui.

DIE THOMÆ
Joan. c. 20.

QVînos tam viles non peccaremus homulli,
Cum sancto lapsus sit propè cuiq; suus?
Labitur Adamus, totumq; invexit in orbem
Quo nunc posteritas ingemit, omne malum.
Labitur & Noa, vini satiatus abusu,
Quis Lothi incestum non meminisse potest?
Quot mala committit proles numerosa Jacobi,
Id sentit Sichem, frater id atq; pater.

Vtiam

Vriam cædit David, fit apertus adulter,
Atqui ante hoc eôdem sanctior ecquis erat?
Quid vitulum Aaronis, vel quid perjuria Petri
Exponam? ante oculos perfidus ecce Thomas.
Ex tumulo retulisse caput negat ille magistrum:
Ni videat digitis palpet & ipse suis.
O quanta est igitur nostræ corruptio carnis?
Tot sancti quod nos: quod docet ipse Thomas.
His tamen in nocuis incredulitate supinâ
Nil pejus, crebrum nec magis esse solet.
Ergò Thomæ exemplo resipiscere novimus utq̃
Possimus, tu nos credere Christe doce.

Fragmenta EIVSDEM AVCTORIS VARIA, PRECATIONES ad DEVM, egregias Sententias, & vitæ regulas & præcepta continentia saluberrima.

EX

EX DAVMHAVDERIO MEO.

NOsse Deum, cultumq; Deo præstare decentem,
Prava nec in populo dogmata ferre suo.
Nosse sui vires pagos atq; oppida regni
Se curare domi, non aliena foris:
Non duci studio rerum nec amore novarum
Non vento quovis circumagente rapi
Consilium rebus præmittere semper agendis,
Consilium captum mox in agendo sequi,
Quæ placuére semel constanter ubiq; tueri.
Promissam nulla re violare fidem.
Non fuco reprobas abducto pingere causas
Stipari pravis nolle satellitibus.
Percontatori, vinosis, futilibusq;
Non animi sensus notificare sui.
Non præbere suas assentatoribus aures
Obtrectatori, non aperire viam
Non ex se varias confingere suspiciones
Futilibus nugis non adhibere fidem,

Ordine

Fragmenta.

Ordine legitimo dubias compescere causas
Iudicium nullo præcipitare loco
Supplicio cohibere malos, defendere justos
Principis est virtus officiumq; boni.

H. H. F. Vismariæ, Anno 1568. Mense Septembri die 18.

Consilium sapiens, occasio commoda, felix
Exitus, unius sunt tria dona Dei.

Nascendo morimur, moriendo renascimur, & nos
Vita redempta tuo sanguine Christo manet.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora,
Sic erit hora brevis, sic labor ipse levis.

Quisq; tua vivas contentus sorte, nec extra
Officij metas egrediare tui.

Omnia

OMnia cum reputat transactæ tẽpora vitæ
Vel malè, vel temerè, vel nihil egit homo.

VIta quid est nisi mors, & ad ipsam semita mortem?
Si careat verâ cognitione Dei.

TAndem te rapiet mors actæ congrua vitæ
Ergo judicium discе timere Dei.

DEsine mortalis curis mortalibus angi
Vna salus homini nosse timere Deum.

VIta fugax hominum est multorum plena malorum
Finem mors affert omnibus una malis.

IVsticiam primum cœlestis quærite Regni,
Hanc omnes aliæ sponte sequentur opes.

PLura Deus dono dat habenti; nil sed habenti
Aufert hoc etiam se quod habere putat.

IN sontem frustra Iudex pronunciat illum
Conscia quem culpæ mens ait esse reum.

IN labijs Deus est, Evangeliumq3, sed intra
Pectora nec pietas cura nec ulla Dei est.

INgenui est animi non dissimulare magistrũ
Doctrina cujus te didicisse scias.

FOrtunante Deo feliciter omnia cedunt
Proficit absq3 Deo nullus in orbe labor.

NON TENTATVS QVALIA SCIT?

NEmo coronari nisi vicerit ante, meretur,
Ni certetq3 prius vincere nemo potest
Nec certare potest, qui non tentatur ab hoste,
Tentari prodest omnibus ergò pijs.
Vt sese explorent, & certent, ingq3 palæstra
Victo victores hoste coronet bonos.

Patris

PAtris heriq; Deus persona fungeris unus
Patrem natus amo servus herum timeo.
Te Dominum timeo, te carum diligo patrem
Est meus hoc omnis nomine frater homo.

NOn captat partem si quis diteſcere quærit,
Sed queat ut compos totius esse videt.
Ergò Deo soli, totum qui fecit, inhære
Quisquis in hoc, possis dives ut esse, studes.

QVi sapit, adversos magno fert pectore casus,
Fortunamq; sibi non facit ipse malam
Nam qui conjiciunt in aperta pericula sese
Non homo, non illis est Deus auxilio.

QVi sapienter agit, rectè præsentia curat
Commendans placida mente futura Deo
Nam sua sufficiens afflictio cuiq; diei est
Invenietq; suum cras sua cura locum.

DVm tenet os fatuus vocisq; silentia præstat,
Non multum differt à sapiente vivo.

At simul os aperit, vocisq; silentia rumpit
Indicio cuculus proditur ipse suo.

ESSE velis ubi sis & nullibi vivere malis
Vsq; aliò dum te transferat ipse Deus.

HEu quam fragili dependent omnia filo:
Nix perit, aura fugit, vapor interit, umbra recedit,
Ros abit, unda fluit, lux transit, labitur hora:
Bulla cadit, fumus vanescit, somnia fallunt
Pluma volat, pulvis jacet & flos deperit agri:
Talis vita hominum: quis novit dicere quamvis
Vivat manè novo, victurum vespere sero.

DEstituunt nidos pulsæ fœtore columbæ
Fumus & admotus dissipat agmen apum.
Sic homini custos vitæ datus angelus hujus
Peccati tetro pulsus odore fugit.

ESto bonis animis agitote viriliter omnes,
O quibus in vero spes sita vestra Deo est.

QVæ te diſcruciant ſuper illum conjice curas
Cujus habes uno munere quicquid habes.
Ipſe tuus cuſtos erit & protector & hoſpes
Ipſe dabit vitæ commoda cuncta tuæ.
Ipſe per ærumnas ſervatum proteget omnes,
Ipſe tuas vacuas non ſinet eſſe preces.
Non ſinet ut dempto volvant te fine procellæ
Non ſinet in medijs ut moriaris aquis.
Sed tibi luctanti rabidas enare per undas
In portum tandem dux erit atq; comes.

OMnia cum miſeros humana juvamina fallunt
Nec turbata pedem ſpes ubi figat habet.
Exerit invictas divina potentia vires
Semper & auxilio ſe docet eſſe pijs.

EVentum quicunq; Deo commendat & orat
Dum facit officij munia juſta ſui.
Omnia circumſtent licet hunc diſcrimina re-
Cœleſti nunquam deſtituetur ope. (rum

REGV-

REGVLA VITÆ.

DOna Dei reverenter habe, memor esto futuri
Judicij, vitam corrige, funde preces.
Neglige rumores quòs spargit futile vulgus,
Intentusq; tuo sis in agenda loco.
Et quicunq; cadant eventus, unica vitæ
Norma tuæ verbum sit maneatq; Dei.
Fide Deo, tua fac, aliena relinque, quod instat
Nunc age, commenda fata futura Deo.

IN qua quemq; Deus statione locavit in illa
Muneris accuret propria pensa sui.
Sustineatq; fide molem cumulumq; laborum
Auxiliumq; Dei non aliundè petat.
Successum non dante Deo labor interit omnis
Rursum dante Deo, quid nocet invidia?

VItæ summa brevis prohibet spes texere longas
Præcipiti festinat enim decurrere lapsu
Vt nimbus ruit, ut vigilum socordia noctu

Præte-

Prætervit, ut tenues vapor evaneſcit in auras.
Ecce dies numero dum dimetimur & horas
Dumq; cibum capimus, bibimus, dormimus, obimus
Finibus intenti, ripas nemora arva regundis
Obrepit tacitè non intellecta ſenectus.
Vita fugit, tacitoq; ſubit mors pallida paſſu
Quæ foret æternamve diē, noctemvè perennem
Qualis enim acta dies aut nox hic, talis agenda eſt
Ergò timere Deum ſanctè traducere vitam
Diſce, pieq; mori, ſi punctio temporis omni
Præmeditere tuæ momenta noviſſima vitæ,
Nō tibi mors horror, nec erit peccare voluptas.

Darguni, 20. Auguſti, Anno 84. cùm obirentur fines Pomeraniæ & Megapoleos.

ANtevenit quos vult Deus exaudire precantes
Vt quæ ſunt ipſi non odioſa petant.

IGNA-

IGNAVIA DEO ET HOMINIBVS invisa.

Solas jure preces Deus aversatur inertum
Cum jubeat fungi quemq; labore suo.
Quod qui mandatum non audit & impiger implet
Hunc quoq; non audit, nec juvat ipse Deus.

AMICORVM CAVSA NON PECCANDUM.

NON excusatur qui causâ peccat amici
Nam virtus omnis nexus amicitiæ est.

CORPORA NOSTRA DOMICILIA DEI.

Disce tui membris reverenter corporis uti
O homo, sunt hominum corpora templa DEI.

Ambi-

AMbitiosus bonos & opes & fœda voluptas
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

SÆpè rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria discipulum faciunt superare magistrum.

PER varios casus, per tot discrimina rerum
Cœlestem hinc alacres tendimus in patriam.

COrporis è speculo ceu viva relucet imago
Pectoris effigiem sic quoq; sermo notat.

EX animo servent summi mandata parentis
In superas quibus est scandere cura domos.

TV quæcunq; tibi fieri fortasse recusas
Esse alijs etiam non facienda, puta.

Multa

MVlta sibi proponit homo secumq; volutat
Consilium quo vult dirigit omne Deus.
Ergò tibi quicquid contingit, mente fer æqua
Persuasus fieri sic voluisse Deum.

TVtius est, præstatq; Deo confidere soli,
Quàm se principibus credere mille viris.

DE EBRIETATE.

CVm mores fiunt ea, quæ vicia ante fuerunt,
Ventum ad supremum quis neget esse gradum.
Sic nunc ebrietas æquales fortis ad haustus
In mores abijt Teutona terra tuos.
Ebrietas hominum generi tristissima pestis
Quæ sternit vicijs omnibus una viam
Immemoresq; Dei facit æternæq; salutis
Et cum corporibus strangulat ingenia.
Qui cupis (ut debes) divinam evadere pœnam
Semper in adventum sobrius esto Dei.

Flensburgi Anno 79.
28. Iunij.

Divitijs

DIvitijs polles & nobilitate superbis
Te decor & clari nominis ornat honos.
Aspice te qui sis. Mortalis es, aspice matrem
Vnde tibi vitæ fluxit origo tuæ
Sumptus es è terræ gleba redditurus in illam
Pulvis es & moriens denuò pulvis eris
Naturæ ergò tuæ memor es, depone tumorem,
Teq; vide, discas ut memor esse tui.

O Meditare tuæ momenta novißima vitæ
Vnde est omnis homo bulla memento mori.
O meditare tuæ momenta novißima vitæ
Sic eris ante homines justus & ante Deum.

STes in procinctu, vigilato, sobrius esto
Propiciumq; roga nocte dieq; Deum
Nam quo fortè loco minimum vel tempore credas
Ecce fores pulsat mors inopina tuas.

QVo diuturna magis, mihi gratior omnis eremus.
Exulat ex aulâ cum probitate fides.

SIc mea conteritur ceu fabula futilis, ætas
Ignotumq; mihi me facit Aula mori.

ORATIO AD FILIVM DEI.

CHriste DEI fili, Deus ac Homo, summe sacerdos
In cruce pro nostrâ passe salute necem
Qui propria superas virtute levatus in auras
Nunc patris ad dextram Rex sine fine sedes.
Pro nobisq; preces fundis gemitusq; precantum
Ipse vides, oro te miserere mei.

ALIVD DE EBRIETATE CARMEN.

SI toties Christus verbis hortatus amicis
Nos recitare preces & vigilare jubet
Ne

Ne caro, ne Satanas, ne blandus hic hospes & hostis
Omnia proclives in mala mundus agat
Ex animo verè sit sobrius ille necesse est,
Qui recitare preces & vigilare velit.
Quomodo distenti vino somnoq; sepulti,
Aut recitare præces aut vigilare queunt?
Quomodo venturo poterunt occurrere Christo
Quomodo rectam animæ curam adhibere suæ?

VERSVS AVLICI.

VErba damus cum nostra damus, sunt hæc quoq; nostra
Et cum nostra damus, tunc quoq; verba damus.

VItam, operas, animum sumptus impendimus aulæ
Præmia pro meritis quæ retributa putas?
Aula dedit nobis rescripta notata papyro
Et sine mente sonos, & sine corde manus.

Ex

Ex Psalm. 33.

NOnne vides natos ad prædam sæpè Leones
Ferre famem, domino pabula dante suis.

Ex eod.

CVm propè tabescunt cordis languore fideles
Illis consuevit proximus esse Deus.

CONventus quoties agimus nostram q; professi
Edimus unanimi relligione fidem.
Ipse tenet primas Deus in grege prævius illo,
Ipse chorum, quamvis non videatur, agit.
Sic age, sic semper te cœtibus insere nostris
O Deus & nobis ipsus ades choragus:
Nos etiam cœtus celebremus alacrius istos
In quibus hic præsens ipsus adest choragus.

Quam

QVam ſibi non conſtet fortuna volubilis ullo
Tempore, fortuna ſis in utraq; memor.

CVm des verba alijs dantur tibi verba vicißim
Decipis atq; Deo vindice deciperis
Siſyphium volvis vano conamine ſaxum
Solaresq; agitas cum Phaëtonte rotas,
Vas iræ, miſer: at tibi non miſerabilis ipſi,
Dum tua culpa tuas ſic cubat ante fores.

DIſcere velle Deo finem faciente docendi
Non decet, hic ſtudij terminus eſto tui.
Quatenus ergò Deus præit, indagando ſequamur
Sit via quærendi clauſa tacente Deo.

PEr quod quis peccat, per idē punitur & ipſe
Quod facis injuſtè, juſtè patieris idipſum
Væ tibi qui ſpolias, ſpoliaberis ipſe viciſſim.

Quo

QVa fueris alijs mensura mensus eadem
Qui demensa tibi mutua reddat erit.

IPse suum cor edens, hominum consortia vitans
Ah quanti comedit? precium quàm grande malorum
Impendit, quàm sæva suæ tormenta salutis
Promovet, & Satana prandet cœnatq; sodale.

REbus in adversis timidus, tumidusq; secundis,
Gratia quem Christi non regit, omnis homo est.

NE præscribe Deo tempusve modumve juvandi
Ille suum tempus notum habet, ille modum.

Quem

QVem Deus ad magnas res vult adhibere gerendas
Admirabilibus servat ubiq; modis.

IPse magistratum vereor timeoq; jubentem,
Sed vereor summum plus timeoq; Deum.

ACcepti meriti grato nisi pectore semper
Sis memor, haud unquam vir generosus eris.

DVlce recordari est exhaustos ante labores
Seq; sui fructu scire laboris ali.
Panis enim manuum quicunq; labore tuarum
Quæritur, est melior plusq; saporis habet.

DVlcius & reliquis generosius omnibus unum
Ossibus os, primi costa parentis Adæ.
Quis sine te cupiat jucundam ducere vitam
Quis sine te possit vivere solus ubi est?

TIgna vides cœco tineas absumere morsu
Occultè reprobos sic edit ira Dei.

NOn benè subjecto se compatiuntur in uno
Fastus & exhaustis paupertas arida rebus.

NEc nimis esse miser volo, nec nimis esse beatus
Semper enim nimio, quo vicietur, inest,
Qui nimium miser est, vulgò miserabilis idem est,
Qui nimis est felix, subjacet Invidiæ.
Omnia sunt autem mediocribus optima, quare
Optarim medium posse tenere locum.

SÆpe repurgatum sibi cõstat in ignibus aurum
Sic promissa Dei fallere nulla solent.

EN ego pauper, egens, ope denudatus ab omni
In te præsidium pono Jehova meum.

OMnia quantumvis hîc deplorata videntur
Nos tamen è cœlo respicit ipse Deus.

QVid commisit homo, quod non Deus ipse, redemptum
Abstulerit proprio sanguine, factus homo.

GRatia sola Dei reflantibus undiq; ventis
Ad bene sperandum nos animare potest.

QVisquis es hac hominem te conditione creatum
Vt tibi sit tandem mors obeunda, scias.
Hujus ut effugias vis insuperabile Legis.
Non datur, hac omnes Lex jubet una mori
Ac circumsepta quamvis in corte latescas,
Mors tamen audaci te trahet inde manu.

ET tutâ requie Regum qui transit in aulas,
Aut furit aut ultro postulat esse miser.

DEcipimur votis & tempore fallimur & mors
Deridet curas, anxia vita nihil.

SI qua tuam stimulans injuria suscitat iram
Vrit & admota ceu face corda furor
In mentem revoca crucifixi vulnera Christi
Justus & immeritum quam tulit ille necem
At quotacunq; hæc pars quam perfers ipse malorum
Ipsius ærumnis æquiparata vide
Tunc velut infusa residunt incendia lymphæ
Extinctus facilè sic dolor omnis erit.

ELE-

ELEGIA EIVSDEM AVTORIS, CVM IN EXtremo vitæ discrimine constitutus, conflictaretur cum tremoribus cordis, ANNO M. D. LXXIII. prid. Non. Mart.

QVandocunq; voles mors tempestiva futura es,
Nec, vitio verti quod tibi possit, erit.
Te quasi non aliquis præsignificaverit index,
Me quasi non certum feceris ante tui.
Hic tremor assiduo quatefacti verbere cordis,
Signa dat accessus indubitata tui.
Seu quia vis, animæ quæ spiramenta cohercet
Strangulat angustas obsidione vias.
Seu vitæ fontem stomachi vicinia lædit,
Quam vapido bilis torret adusta foco.
Seu mors mille vijs aditus in corpora quærit
Proxima deq; vijs omnibus ista via est.
Quicquid id est, habet iste tremor præludia
Iste jubet lethi me meminisse tremor (lethi,

O, qui persona Deus ac homo verus in una es,
Supplicium causa flebile passe mea.
Dum pro me patriam fers succedaneus iram,
Meq; tua patri morte reconcilias.
Per plagasq; tuas, indicibilesq; dolores,
Sudoris saniem, vulnera, flagra, crucem:
Per gemitusq; tuos & amaræ mortis agonem,
Quæso patrocinium suscipe Christe mei.
Cum miser extrema luctabor athlæta palæstra,
Injiciet stygius cum mihi prædo manum.
Offusis tenebris oculorum visus hebescet,
Accipiet nullos auris utrinq; sonos,
Muto lingua rigens hærebit fixa palato,
Non aget officium pesq; manusq; suum.
Notitiæ lumen res caligabit ad omnes,
Nullus in hoc reliquus corpore sensus erit.
Conceptamq; tenens intra præcordia mortem
Desæuat, exhaustus viribus, orbus opis.
Respice me, miserere mei, mihi porrige dextrã
Integritate tuæ me tege justitiæ.
Pelle malos genios, cruciatus contrahe lethi,
Terrenoq; animam carcere solve meam.
Corpus humo jaceat reparabile, seminis instar,
Dum redit in terram, terra quod ante fuit.

Donec

Donec in effœto lux orta sit ultima mundo,
Cœlestesq; canant classica signa tubæ.
Exuvias animæ tum consolidando priores
Restibili surgam ceu nova messis agro.
Accedamq; Dei sub judicis ora vocatus,
Ora serena pijs, ora tremenda malis.
Illic me trepidum defende patrone clientem,
Et fac causidicus nomine verba meo.
Vita tuo gratis detur mihi munere dono,
Cum peraget mortis me mea culpa reum.
Ceu tua jurando promissio jure recepit,
Fallere quam nullo te scio posse modo.
Sermonem quicunq; meum servabit, & omnem
In me spem ponet non dubitante fide,
Ille nec innumerum referetur lege reorum,
Nec degustabit mortis amariciem
Commuteq; licèt vitam cum morte caducam,
Non tamen æterno funere mersus erit.
Ipse sed ereptum divinæ robore dextræ
In regni socium parte locabo mei.
Vt bona possideat cœli communia mecum,
Et vitam dempto fine beatus agat.
Hæc impressa meo penitus sit cautio cordi,
Hanc Deus obsignes, cætera curo nihil.

Cætera curo nihil, quoniam tibi credita rectè,
Inq; fide non sum nescius esse tua.

ALIA ELEGIA, CVM IAM EXHALATVRVS animam videretur.

NVnc quod curriculum dederas mihi Christe peregi,
Parvaq; sub terras ibit imago mei.
Qua fluvius Fenam Sala præter labitur urbem,
Constitui quondam sacra laresq; meos.
Jam prædæ fundosq; meos vis major & ædes
(Quæ spoliatori res benè vertat) habet.
Servivi patriæ diversas missus in oras
Gratia dum cari salva manebat heri.
Obrutus assidua multorum mole laborum,
Vt variè curas erogat aula suas.
Triste sed heu precium nactus sub fine laborum,
Expertusq; tuam mobilis aula fidem.

Sed

Sed tamen & poteram felices inter haberi
Ordine, fortuna, conjuge prole mea,
Si modò se noſtram non inſinuaſſet in aulam
Eluvies patriæ, peſtis acerba ducis.
Stigma notasq; gerens inferni ditis Alaſtor,
Verſibus indignus nomen habere meis.
Vnus hic ærumnas me præcipitavit in omnes,
Involvitq; ſuis ſeq; aliosq; malis.
O præclara dies, qua tot perpeſſa dolores
Hæc anima in ſuperas eſt abitura domos.
Hæc anima, ablutam precioſo ſanguine Chriſti
Et mundi ſaturam quam tibi trado Deus.
Qui mea forte leges veſtigia, deditus aulæ,
Huc ades, exemplo diſce docente meo.
Fidere, nec magnis ducibus nec regibus auſis,
Ah miſer, illorum quisquis adorat opes.
Quippe voluntatis, fortunæ, deniq; vitæ
Vnica quos certos non videt hora ſuæ.
Sunt homines, magniq; duces, regéſque ſuperbi,
Fallit in humanis ſpes ſita præſidijs.
Mobilis Euripo magis eſt humana voluntas,
Semita fortunæ lubrica, vita fugax.

At ſi-

At sibi perpetuò constat divina voluntas,
Æterno stabilis vita vigore manet.
Finibus arctata est immensa potentia nullis,
Ergo sit in solo spes tua fixa Deo.
Nulla salus, ope mortali sperare salutem,
Vna via est uni fidere tuta Deo.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0186
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0188
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0189
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730437175/phys_0190
DFG

Sed tamen & pote … habere…
Ordine, fortun … ea,
Si modò se noſtra … n aulam
Eluvies patria … is.
Stigma notaſq; ge … Alaſtor,
Verſibus indig … meis.
Vnus hic ærumna … n omnes,
Involvitq; ſui …
O præclara dies, … lores
Hæc anima in … a domos.
Hæc anima, … ſanguine
Chriſ…
Et mundi ſatu … ndo Deus.
Qui mea forte le … us aulæ,
Huc ades, ex … e meo.
Fidere, nec mag … ibus auſis,
Ah miſer, ill … rat opes.
Quippe volunta … vitæ
Vnica quos c … ra ſuæ.
Sunt homines, … regéſque ſu-
perl…
Fallit in hun … ſidijs.
Mobilis Euripo … voluntas,
Semita fortu … ugax.
At ſi-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 076
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730437175/phys_0191
DFG